


K1. 7. 113

III. 646



ALMÆ TAURINENSIS ORD. MIN.
DE OBSERVANTIA PROVINCIAE
SUB DIVI THOMÆ APOSTOLI AUSPICIS
HISTORICA ET CHRONOLOGICA
SYNOPSIS

A. P. Sr. Honorato Corrado

A VETERI CAPITĒ

EIUSDEM PROVINCIAE ALUMNO

EDITA



TAURINI
EX TYP. CASTELLAZZO ET GARETTI
1856.

ORSZÁGOS SZÉCHÉNYI KÖNYVTÁR
MŰEMLÉK KÖNYVTÁR
GYÖNGYÖS
Németz József tér 1.
2011

ORSZÁGOS SZÉCHÉNYI KÖNYVTÁR
MŰEMLEK KÖNYVTÁRA
GYÖNGYÖS
Nemecz József tér 1.
9201

ORSZÁGOS SZÉCHÉNYI KÖNYVTÁR
MŰEMLEK KÖNYVTÁRA
GYÖNGYÖS
Nemecz József tér 1.
9201

III. 646

ALMÆ TAURINENSIS ORD. MIN.

DE OBSERVANTIA PROVINCIAE

SUB DIVI THOMÆ APOSTOLI AUSPICIIS

HISTORICA ET CHRONOLOGICA

SYNOPSIS

A. P. Fr. Honorato Corrado

A VETERI CAPITE

EIUSDEM PROVINCIAE ALUMNO

EDITA

Ab Auctore dono accepit Fr. Simon Karosi, Defin. gener. Ordinis, et secundum Minister Provincialis Provinciae S. Thomae Salvatoris, in Capitulo generali, in Vigil. Pentecost. a. 1856 Romae in Convencu Araccolitano celebrato.



TAURINI

EX TYP. CASTELLAZZO ET GARETTI

1856.

ORSZÁGOS SZÉCHÉNYI KÖNYVTÁR
MŰEMLEK KÖNYVTÁRA
GYÖNGYÖS
Nemecz József tér 1.
3201

MINISTER PROVINCIALES
DON J. F. BORGES DE BRAGA Y ALBUQUERQUE
SACRILE THEOL. FACULT. DE BRAGA, STUDIOSA FACULT. DE BRAGA
IN SACRILE PROF. ILM. COMMISSAR. VITAE. DE BRAGA
IN SACRILE PROF. DE BRAGA, DIE 3. JULII 1884
IN COM. S. THOMAE APOSTOLICI TITULI DE BRAGA
EPISCOPUS
DE SACRILE MINISTRIUM PROVINCIALES
1884

CITATION
DON J. F. BORGES DE BRAGA Y ALBUQUERQUE
SACRILE THEOL. FACULT. DE BRAGA, STUDIOSA FACULT. DE BRAGA
IN SACRILE PROF. ILM. COMMISSAR. VITAE. DE BRAGA
IN SACRILE PROF. DE BRAGA, DIE 3. JULII 1884
IN COM. S. THOMAE APOSTOLICI TITULI DE BRAGA
EPISCOPUS
DE SACRILE MINISTRIUM PROVINCIALES
1884

DECRETUM
DON J. F. BORGES DE BRAGA Y ALBUQUERQUE
SACRILE THEOL. FACULT. DE BRAGA, STUDIOSA FACULT. DE BRAGA
IN SACRILE PROF. ILM. COMMISSAR. VITAE. DE BRAGA
IN SACRILE PROF. DE BRAGA, DIE 3. JULII 1884
IN COM. S. THOMAE APOSTOLICI TITULI DE BRAGA
EPISCOPUS
DE SACRILE MINISTRIUM PROVINCIALES
1884

PROVINCIALES SECRETARIES
DE BRAGA Y ALBUQUERQUE
DE BRAGA, DIE 3. JULII 1884
IN COM. S. THOMAE APOSTOLICI TITULI DE BRAGA
EPISCOPUS
DE SACRILE MINISTRIUM PROVINCIALES
1884

PROVINCIAE SIGILLUM



MINISTER PROVINCIALIS

ADM. R. P. HONORATUS CORRADO A VETERI CAPITE,
 SACRAE THEOL. LECT. IUB., EX DEFIN., STUDIORUM PRAEFECT., CONC. GEN.,
 IN SARDINIAE PROV. IAM COMMISSAR. VISITAT. GEN.,
 IN CAPITULO PROV. DIE 3. IULII ANN. 1854.
 IN CONV. S. THOMAE APOSTOLI TAURINI CELEBRATO
 ELECTUS,
 IN SERIE MINISTRORUM PROVINCIALIUM
 LXXXVI.

CUSTOS.

ADM. REV. P. PAULUS PERETTI A MORETTA,
 SACRAE THEOL. LECT. IUB., TERRAE SANCTAE COMMISS., EX-MINISTER PROV.

DEFINITORES.

ADM. R. P. CLODOVEUS ICHINO A COSTILIIS SALUT.,
 SACRAE THEOL. LECT. IUB., EX-MINISTER PROV.
 ADM. R. P. REGINALDUS CHIATELLINI A CARINIANO,
 SACRAE THEOL. LECT. IUB., ET PAROECIAE CURATUS.
 R. P. IESUALDUS SANDRONE A CARMANIOLA,
 CONC. ET LECT.
 R. P. GRATIANUS GUAITA A CASALI,
 CONC. ET LECT.

PROVINCIAE SECRETARIUS

R. P. LEO DE-MARIA A LOVAZZOLIO,
 CONC. ET LECT.

ORSZÁGOS SZÉCHÉNYI KÖNYVTÁR
MŰEMLÉK KÖNYVTÁRA
GYÖNGYÖS
Nemecz József tér 1.
3 2 0 1

MINISTER PROVISORIALIS

ADM. R. P. HONORABILIS CORRADO A. VIGARI CAMPE
SACRAR THEOL. FAC. THE. ET DEIUS. STEPHANUS DAMIANUS. CONC. GEX.
IN SACRAR. PROF. IAN. GOMNISAR. TESTAT. GEX.
IN SACRAR. PROF. DR. S. HILL. JUD. RES.
IN CONC. S. THOMAS. APOSTOL. KENNETH. L. BRISTO.
ELECTUS.
IN SACRAR. MINISTRIUM. PASTORALIS.

LXXVII

CLXXX

ADM. R. P. PALLAS RENATI A. MORBITA
SACRAR THEOL. FAC. THE. TERRAE SILENTIAE CONCORS. ET-MINISTER PROV.

UNIVERSITATIS

ADM. R. P. GEORGIUS ICHNO A. GOSIENSIS SALT.
SACRAR THEOL. FAC. THE. ET-MINISTER PROV.
ADM. R. P. IRMAILLER CHRISTIANUS A. CARLINO.
SACRAR THEOL. FAC. THE. ET PASTORALIS CURATOR.
R. P. LEONARDUS SANDROX A. CARMAZIOJA.

1808 ET 1811

R. P. GRAHAMUS GEATA A. CASALI.

1808 ET 1811

PROVINCIAE SECRETARIUS

R. P. LEU DE-HARIS A. LOVAVONDO.

1808 ET 1811

LECTORI MONITUM

Prostat tibi, amice Lector, brevis Subalpinae Minorum de Observantia Provinciae historia, in qua eiusdem originem, processum, et gesta veluti in epitomen contracta habes. Neque mihi succenseas velim; nam gnarus equidem eram, quae ad hanc Almam Seraphici Ordinis Provinciam spectant, ea magna ex parte tum in Ordinis Annalibus, tum quoque in aliis historicis iam reperiri libris a magni subsellii viris praelo commissis. At vero neminem latere potest, haud pauca adhuc desiderari, quae vel caritate scriptorum, temporumque iniuria periere, vel ad recentiora Provinciae Asceteria referuntur. Norunt quoque omnes, quot vicissitudines florentis huius Provinciae Conventus sub initium huiusce aevi nostri ob bellorum tumultus, et animorum, rerumque conflagrationem passi fuerint; eorum quippe alii in rudus penitus abiere; alii ad prophanos fuere usus redacti; pauci alii, pace nationum composita, denuo restaurati fuerunt. Abs re igitur haudquaquam erit, quae ad variantem huius Provinciae fortunam pertinent, memoriae prodere, ne dies penitus debeat. Quid quod? Cum nihil antiquius, nihilque dulcius honesto ac religioso viro esse possit, quam de iis, quae quasi domi innascuntur, quaeque maiorum, ipsiusque met gloriam adaugent, habere tractatum; hinc spes haud modica mihi, licet imperito scriptori, affulget, quaecumque hoc opus, quod aggressus sum, omnibus Seraphici Ordinis cultoribus acceptum iri. Maxime quod post — Seraphica Subalpinae Provinciae Monumenta — quae Illustrissimus ac Reverendissimus Paulus Britius Braidensis Albensibus Infulis merito donatus, compta oratione, perpolitique stylo anno 1647. vulgavit, nulla prodierit amplius in lucem eiusdem Provinciae historia, vel Chronotaxis.

Addatur etiam ad hocce opusculum praelo committendum, me impulisse quammaxime Reverendissimi Patris Venantii a Coelano totius Ordinis Moderatoris vigilantissimi literam Encyclicam, qua cum Generalia Comitia in Aracoelitano Conventu in pervigilio Pentecostes currentis anni habenda indicuntur, et convocantur, ex quibus haud leve mehercle incrementum, et decus universa Minorum soboles sibi ominari debet. Aptissimum hinc mihi visum est, spectatissimo illi Procerum Ordinis coetui compendioso in libello perspicienda praebere, quae de hac Subalpina Provincia, cui licet immeritus praeficior, scitu digna, vel ad ipsius ornamentum et decus quomodolibet pertinere videntur.

Hisce itaque permotus ab idoneis, ac fide dignis auctoribus, nec non a Provinciae, singulorumque Conventuum Archivis ea sedulo quaesivi, atque selegi, quae a veritate haud aliena, quaeque ad perlegendium sensa cienda mihi videbantur aptiora, et qua maxima potui diligentia, licet incompto stylo, in synopsis complexus sum. Ac primum ea, quae ad Provinciae originem, eiusque geminam divisionem spectant, ponuntur. Dehinc accedit brevis omnium Conventuum, quos vel hodie Provincia complectitur, vel complectebatur olim, historica narratio, qua in retexenda nonnulla quoque de locorum, populorumque notitia praefari volui, quatenus melius quisque noverit, quibus in locis Seraphica Tribus nullo non tempore soboleverit, quantaque comitate ubivis gentium excepta semper fuerit. Subnectitur porro virorum series, qui vel sanctitate ac virtute insignes fuere, vel dignitatibus, literisque emicuerunt. Hic tamen te praemonitum volo, amice Lector, quod si quosdam viros aut martyrio laureatos, aut miraculis, vitaeque sanctimonia conspicuos, uti Martyres, et Beatos nuncupatos offenderis, scias, haud ideo tales nuncupari ex Apostolicae Sedis Oraculo, sed ob praeclara eorum gesta dumtaxat a probatis scriptoribus, et vulgo ut tales haberi. Novi siquidem ex Urbani Decreto tertio Id. Martii anni 1625. promulgato, et alias declarato, et confirmato cautum fuisse, ne Sancti, vel Beati cuiusque praeconia vulgare quisquis audeat, nisi praevia ipsius protestatione; cui Romanae Ecclesiae Oraculo lubenti, et obsequenti animo parere et ipse gestio, meque ei humillime subiicio. Accedit insuper Chronotaxis Ministrorum, qui Provinciae regundae hucusque praefecti sunt. Quae omnia concludit elenchus omnium Religiosorum, quos hodie Provincia complectitur.

Tu interim, Lector benevole, si hunc meum qualemcumque libellum pervolvendo aliquid mancum, et hiulcum, vel satis compta, et castigata dictione minime concinnatum in eo reperies, mihi concede; sin vero laudabile, a veritateque minime alienum aliquid tibi videbitur, alte animo defixum retine, meque benevolentia tua fovere haud dedigneris. Vale.

DE PROVINCIAE ORIGINE ANTIQUITATE, ET GEMINA EIUSDEM DIVISIONE

Almam Subalpinam Observantium Provinciam a D. Thoma Apostolo nuncupatam, licet quoad nomen non admodum remotam praeseferat vetustatem, si tamen primam eiusdem originem altius repetas, antiquissimam esse, ac primaevis Seraphicae Religionis haud immerito accensendam, facile colligis. Enimvero ex historiographis, nec non ex Taurini, Astae, Cherii, aliarumque Subalpinarum urbium archivis compertum habetur, Pauperum ab Assisio Patriarcham perplures huius septentrionalis Italiae lateris perlustrasse Provincias, atque a Subalpina gente, virisque scitis, ac generis nobilitate praeclaris comiter receptum, nonnullisque Aedibus pro Conventibus construendis donatum fuisse. Et inter alia illud scitu atque memoratu dignum est, quod Beatrix Genevensis Thomae Sabaudiae Comitis uxor, quae maxima, qua potuit, comitate, Heroem Assisiatem anno 1214. Segusii excepit, ab eoque rudis tunicae partem adinstar pretiosi pignoris obtinuit (1), ut gratas tanto viro rependeret vices, Asceterium pro eiusdem filiis ea in urbe aedificavit. — Nobilissima quoque Ruverorum familia Ecclesiolam S. Victori dicatam, qua sub Jurispatronatus titulo Taurini potiebatur, eidem Patriarchae ultro concessit. — Item Astenses cives sacram Aedem a S. Joanne de Palude vocitatum cum satis amplo situ eidem dederunt. — Cherienses vero Coenobium, iuxtaque illud Ecclesiam tum privato, tum publico aere e solo excitarunt. —

Hisce igitur Minorum primordiis in Pedemontio positis, haud facile dixeris, qua celeritudine sobolescere undequaue coeperit pauperrima D. Francisci progenies. — Ex Pingonio siquidem, et ex Baldessano eruitur, zelo, atque pietate primorum Seraphici Ordinis Heroum Bonaventurae, Antonii Patavini, et Ludovici haud pauca Coenobia Subalpinis in regionibus excitata fuisse. Magnum quoque incrementum, et decus Pedemontanae Observantium familiae accessit ex Bernardino Senensi, altero Bernardino a Feltro, Angelo a Clavasio, Candido Ranzo a Vercellis, aliisque sanctitate, atque doctrina praeclarissimis viris, quorum opera et solertia, tam in Pedemontii Principatu, tum in Montis-ferrati Ducatu, tum demum in Insubria, et in Januensi Dominatu, Conventus perplures qua privatis, qua publicis sumptibus constructi fuere, in quibus virtus, scientiaque mirum in modum florescebat ad Religionis splendorem, populorumque in spiritualibus utilitatem.

Minorum
in Pedemontio
primordia.

Vetus Provin-
cia, eiusque am-
plitudo.

Omnia porro haec Coenobia, una cum aliis, quae in diem accedebant, sub unius dumtaxat Ministri regebantur imperio, unamque, Januensem dictam, efficiebant Provinciam; quae quantae foret amplitudinis duplici ex capite colligi liquido potest. — Si enim ipsius, qua late patebat, extensionem inspicias, Mediolanensis Ducatus partem, totum Montis-ferrati Ducatum, Salutiarum Marchionatum, integrum Januensem Dominatum, ac demum universum Pedemontanum Principatum complectebatur; sicque conterminas habebat celeberrimas Ordinis Provincias, Bononien- sem nimirum ab oriente sole, ab aquilone Mediolanensem, a meridie Hetruriam, et ab occidente Transalpinas Ss. Ludovici et Bonaventurae. — Si vero eiusdem Monasteriorum numerum consideres, tria et septuaginta Fratrum, ac duo et viginti Monialium domicilia eam habuisse reperis (2).

Haec porro pervetusta et amplissima Ordinis Provincia, quae ab ipso Seraphici Patris aevo suum ex parte sumpsit exordium, ac plurium Franciscalium Heroum opera mirum in modum excrevit, dici vix potest, quo zelo, quave sedulitate Divi Parentis vestigia sectaretur. Tribus enim ferme saeculis in humilitatis et obedientiae spiritu, Religionis, scientiarumque studio perseverans, ingentes suo tempore fructus dedit, tum vineam Domini Sabaoth qua Evangelii praedicatione, ac Mysteriorum Dei dispensatione, qua efficacissimis omnium virtutum exemplis naviter excolendo, tum etiam imperterritos athletas periculorum prorsus nescios ad infedele et efferatas gentes mittendo, qui sedentibus in tenebris, et in umbra mortis salvificae Fidei iubar attulerunt. — Nec etiam defuere in hac Provincia eximii viri, qui humanarum, divinarumque scientiarum studiis sedulam navantes operam, optimi Theologi, eruditi sacrarum literarum interpretes, ac divini verbi summi praecones evaserunt. Hinc est, quod cum eorum praeclara merita septa Claustri haudquaquam caperent, ad amplissimas quandoque dignitates evecti sunt. Nam alii Infula, alii Ostro insigniti, alii vero a Summis Pontificibus ad graviora apud Principes expedienda negotia delecti fuere. Haud mirum igitur si haec Provincia, tot tantisque irradiata fulgoribus, et Ecclesiae Catholicae nullo non tempore optime merita, quaquaversum mirificam effundebat lucem, sibi que omnium corda devinciebat. —

Prima Provinciae
divisio ann. 1594.

Ast vero cum tam magno in Monasteriorum numero, tantaque in membrorum compagine haud adeo facile foret, unanimem diu servare consensum, mutuanque omnium voluntatem, cumque prae nimia Provinciae amplitudine vix unus Minister cuncta pro munere suo negotia obire, ac singula gliscentia mala surculare per se posset; hinc sapientissimo consilio provisum est, ut ex una amplissima Januensi Provincia binae erigerentur. Anno itaque 1594. a Rev.^{mo} Patre Francisco a Calata Hierone, totius Seraphici Ordinis moderatore vigilantissimo, Apostolica Clementis

VIII. Pontificis Maximi facultate impetrata, nova ex Pedemontii, Montis-ferrati, et Insubriae Conventibus Provincia, Divo Didaco Auspice, atque Patrono, erecta fuit, quae sub tanti Patris auspiciis pietate atque doctrina refulsit, maiora quidem, Deo dante, sensim capiens incrementa. Pervigil^{is} siquidem sub custodia Patrum eidem praefectorum, qui forma gregis facti verbo et opere concreditarum sibi ovium navam curam gerebant, regularis Observantia, morumque disciplina maxime florebat, eo ut vix quempiam invenisses vel hilum a virtutis, ac perfectionis tramite devium.

Verumtamen a prima huiusmodi Provinciae divisione, paucis lustris vix elapsis, mutua concordia Fratrum Martis occasione paulisper immutata fuit. Cum enim Carolus Emanuel I. Sabaudiae Dux iura sua vindicaturus Mantuae, ac Montis-ferrati Duci bellum intulisset, armorumque tumultus pluribus Montis-ferrati potissimum in locis perstrepescerent, hinc Fratres etiam, qui utrorumque bellantium Principum Coenobia promiscue incolabant, inter se dissidere coeperunt; quippe, uti fieri assolet, unusquisque Principis sui iura pro virili parte tuebatur, sicque dum militum cohortes in acie dimicabant, Fratrum disceptationibus, atque iurgiis Clastra personabant. Huiuscemodi in dies gliscentibus malis occurrere perperam conati sunt optimi, qui Provinciae praeerant, Patres. Quapropter Sabaudiae Duci Carolo Emanueli e re esse visum est, iis, qui sub aliorum Principum imperio erant, recisis Conventibus, novam ex ceteris in sua Ditione existentibus constituere Provinciam. Rem igitur maturo consilio perpensam solertissimus Princeps Gregorio XV. Pontifici Maximo anno 1622. aperuit, qui pro sua benignitate lubentissime eidem annuit (3), hac etiam in Apostolicis literis superaddita facultate, ut quotquot erant Conventus etiam ad alias Provincias spectantes, sed in urbibus vel oppidis, quae Sabaudiae Ducum imperio subiacebant, existentes, huic novae Provinciae iungerentur. Huiusmodi fuere ex Mediolanensi Provincia Conventus S. Mariae de Bethlehem Vercellarum — S. Bernardini Eporediae — S. Francisci Gattinariae — et item S. Francisci Sanctae Agathae; ex Provincia vero Januensi, Conventus S. Mariae Marri — et S. Francisci Suspitelli; ex Provincia demum S. Ludovici in Galliis, S. Mariae de Cimellis — et S. Pancratii Lantuschae. —

Interea novae Provinciae erigendae munus demandatum fuit Ill.^{mo} ac Rev.^{mo} D. Francisco domo Costae Savonensi Antistiti, ac pro Apostolicae Sedis negotiis apud Carolum Emanuele expedendis Nuntio, qui in Taurinensi D. Thomae Apostoli Coenobio Provincialibus indictis Comitibus, Serenissimi Sabaudiae Ducis voluntatem, Sedisque Apostolicae Diploma omnibus de iure convocatis Patribus aperuit, et qua Vicaria Pont. M. fungebatur potestate, novae Provinciae sub titulo S. Thomae Apostoli erectionem pronunciavit, omnesque vocales enixe hortatus est, ut de more,

Altera Provin-
ciae divisio
anno 1622.

Provincia Divi
Thomae erigitur.

et iuxta Ordinis statuta eiusdem moderatores illico eligerentur. Praemissis itaque praemittendis, die 1.^a augusti anno 1622. primus Provinciae Minister renunciatus est Adm. R. P. Fr. Franciscus Blassionius a Saviliano iam in S. Didaci Provincia Minister. Definitores vero fuere PP. Ludovicus Guerillo a Pinarolio, Theologus insignis — Michael Angelus item a Pinarolio, Lect. Jub., et Reg. Sabaudiae celsitudinis Theologus — Angelus a Carmaniola — Petrus Franciscus Isnardi a Sinfredo, Philosophiae Lector — et Franciscus a Raconixio, Conv. S. Thomae Guardianus. —

Sigillum Prov.
Cruce decoratum.

Dehinc omnia ad Provinciae, quae ab ipsa sua erectione 30. Conventus complectebatur (4), utilitatem et decus spectantia absoluta fuere. Heic etiam praeterire nefas speciale illud privilegium, quod Carolus Emanuel I. Sabaudiae Dux, cuius opera potissimum haec nova Provincia erecta fuerat, eidem vix genitae animo equidem regio largitus est. Voluit enim, ut Provinciae sigillo, quod Christi effigiem, D. Thomae Apostolo post resurrectionem apparentis, et Crucis vexillum laeva manu gestantis, eundemque Apostolum in dexteris genuflexum, ac summis digitis latus eius tangentem, praefert, Equitum Ss. Mauritii et Lazari crux supponeretur, ac si Provinciale Ministerium pro tempore inter praefatos Equites cooptari, talique honore insigniri dignaretur (5). —

Nonnulli Conv.
Reformati assig.

Hisce igitur laetis primordiis hocce novum Seraphicae Religionis aedificium exortum, geminis sanctitatis, iuxta ac doctrinae ornamentis mox decoratum fuit. Fratres quippe in oratione et obedientia unanimiter perseverantes, ac Moderatorum exemplo magis magisque incensi religiosae perfectionis viam certatim currebant ad sui ipsorum, aliorumque in spiritualibus utilitatem. Ast cum per fel. rec. Clementis VII. Pont. Max. diploma kal. Dec. anni 1533. datum, sancitum iam fuisset, ut in qualibet Provincia nonnulla designarentur Coenobia, quo se recipere possent, qui superioris vitae, ac Seraphicae regulae sine glossa observandae studio flagrabant, quique Reformati vocari consueverant, hinc etiam infans D. Thomae Provincia aliarum morem gerens, dictis Fratribus quatuor ultro concessit Conventus S. Mariae scilicet de Cimellis Niciae — S. Francisci Suspitelli — S. Mariae Marri — et S. Pancratii Lantuschae. Anno porro 1628. dicti Reformati Conventum S. Mariae in Castro Tridini nacti sunt; posthinc duos alios, videlicet S. Mariae Angelorum Cunei, ac S. Bernardini Eporediae. Interea currente anno 1647. Provinciae D. Thomae accessit Conventus S. Mariae Gratiarum de Mellea nuncupatus, in Fariliani confiniis situs. —

Tres Custodiae
eriguntur.

Mox anno 1752, ut, quoad fieri poterat, Fratrum tranquillitati et paci consuleretur, Patris Caroli Emanuelis de-Gregory Crescentinensis Provinciam moderantis opera, adplaudente etiam Augustissimo Rege Carolo Emanuele, hoc nomine tertio, supplices literae a Rev.^{mo} Patre Raphaële

a Lugagnano totius Cismontanae familiae Commissario generali datae sunt Benedicto XIV. ut, pro meliori Pedemontanae Provinciae bono, et aequiori dignitatum et officiorum collatione, tres custodias, prout in iisdem literis designatae fuerant, Apostolica sua auctoritate instituere, ac institutas declarare non dedignaretur, mandando insuper, ut posthac Provincialis Minister, Custos, ac Definitores pro Fratrum quiete, atque concordia alternatim eligerentur. Benigne annuit Summus Pontifex (6), sicque tres Custodiae, Taurinensis nempe, Astensis et Vercellensis fuerunt erectae, assignatis pro qualibet Conventibus octo, nec non Conventu Sacri Recessus in unaquaque deputato (7). —

Subinde vero, ineunte anno 1783. huic Provinciae accesserunt Conventus S. Mariae Gratiarum Bellinzonae in Helvetia. — S. Francisci Trecati — S. Mariae Gratiarum Burgomanerii — S. Bernardini Mortariae — S. Mariae gratiarum Viglevani — S. Francisci Bobii — nec non duo Hospitia Cerani et Campolati. —

Quapropter, ne alterna Moderatorum electio, officiorumque distributio turbaretur, eodem anno, Apostolica Sede annuente, bifariam partita fuit Provincia, et in qualibet eiusdem parte geminae Custodiae fuerunt erectae, nimirum Pedemontana et Astensis pro meridionali Pedemontii parte; pro septentrionali vero, Vercellensis et Novariensis (8). —

Rebus interea ita compositis, vias Domini, et vestigia Seraphici Parentis alacri, invictoque pede Fratres terebant, feliciora quidem et gloriosiora sibi in diem auspicantes. Sed heu lacrymanda nimis calamitas! Nequam enim aevi nostri initio, quo sancta quaeque profanis miscebantur, Napoleone rerum summam tenente, generalis omnium Religiosorum Ordinum abolitio anno 1802. decreta fuit. Nefastum hocce decretum ubi ocius, ubi serius eodem currente anno omnibus fuit indictum Religiosis, qui a pacificis suis laribus perdolentes exulare debuerunt. Sic pro dolor! omnia Asceteria, quae fidelium pietate atque religione, Fratrumque studio, maximaque sedulitate, longo annorum cursu vel e solo excitata, vel pretiosis ornamentis decorata fuerant, auri sacra fames, bellorum, morumque licentia comes uno ictu delevit.

Ast, faventibus superis, bellum, dirus pacis et otii turbo, tandem aliquando cessavit; morum suavitas, quiesque populorum ardenti animo concupita rediit; et quemadmodum Immortalis Pontifex Pius Septimus Apostolicae Petri sedi, ex qua fuerat impiorum consiliis exturbatus, ingenti Urbis et Orbis plausu restitutus fuit; ita quoque Augustissimus Rex Victorius Emanuel Regios suos lares, a quibus Bellona praepotens illum exulare coëgerat, plaudentibus prae novo gaudio populis, iterum auspicatus est die 20. maii 1814. —

Quatuor Custodiae eriguntur.

General. Ordinis suppressio.

Pientissimus Princeps nihil habuit antiquius, quam quae gravia damna in sua Ditione passa fuerat Ecclesia, ea pro viribus restaurare; et inter alia summa eiusdem cura fuit, Apostolica Sede id etiam summopere avente, ac adprobante, Religiosorum Monasteria iterum excitare. Quod ut pro votis suis opere quantocius compleret, illustrium virorum coetui negotium demandavit. Interim a Summo Pontifice pro Minorum Conventibus in Subalpina Regione restaurandis Commissarius Apostolicus renuntiatus fuit Ad. Rev. P. Iosephus Nicolaus Merlo a Guarenis extinctae D. Thomae Provinciae quondam filius, et ex-Minister, quem etiam Rev.^{mus} P. Gaudentius a Coriano totius Seraphicae Familiae Moderator sui delegatum instituit, ac deputavit. (9) Haud facile dixeris, quot ingentes pertulerit labores religiosus vereque seraphicus hic vir, quotve maximas hinc inde offenderit difficultates ad Seraphicum hocce novum aedificium restaurandum. Verumtamen omnia, Deo dante, feliciter superavit; varia a Regia Victorii Emanuelis Maiestate Coenobia obtinuit; veteres Francisci Alumnos huc illucque iam dispersos collegit; cunctaque brevi temporis spatio usque adeo perfecit, ut die 20. novembris 1816. in Conventu S. Thomae Apostoli Taurini Provincialia Comitata celebrari potuerint, in quibus ea peracta et absoluta fuere, quae maiori Religionis decori et incremento esse poterant. — Post haec Subalpina Minorum Provincia, adinstar cuiusdam Phoenicis post fata excitata, nova Principum, populorumque largitate Coenobia sensim nacta est, et in praesentiarum viginti numerat domicilia, de quibus viritim dicere iam properamus.

(1) Huiusce facti memoria praeterquamquod reperitur apud Scriptores, qui eiusdem Patriarchae gesta narrant, vid. quoque Teatrum statuum Sabaudiae Ducis Parte 1^a, pag. 69. — Item pientissimus Rex Carolus Albertus pulcherrimam effigiem in aere incidendam curavit, in qua Beatricem in Throno sedentem, iuxtaque eiusdem suppedaneum Pauperum Patrem, rudis manicae partem eidem offerentem vides.

(2) Hic Conventuum, et Monasteriorum numerus desumptus est a Cl. Francisco Gonzaga — De Orig. Seraph. Relig. Franc., pag. 325. — Britius vero in suo libro: Seraphica Subalpinæ D. Thomae Prov. monumenta — refert, hanc Provinciam, plusquam centenis Fratrum; quatuor vero et viginti Monialium Conventibus constitutam fuisse. Ast haec tanti viri assertio nescio, quo fundamento sit fulta. Hinc eam retulisse satis.

(3) Pontif. Diploma datum fuit sub die 18. iunii 1622.

(4) CONVENTUS, QUIBUS CONSTABAT PROVINCIA IN IPSA SUA ERECTIONE, SUNT SEQUENTES:

1. S. Thomae Apostoli	Taurini.	16. S. Mariae Lauretanæ	Sinfredi.
2. S. Bernardini	Astarum.	17. S. Pancratii	Lantuschæ.
3. S. Mariae Angelorum	Braydæ.	18. S. Bernardini	Eporediæ.
4. S. Mariae Angelorum	Buschæ.	19. S. Mariae	Marri.
5. S. Francisci	Bennarum.	20. S. Mariae de Cimellis	Niciæ.
6. S. Antonii Abbatis	Clarasci.	21. S. Francisci	Suspitelli.
7. S. Mariae Angelorum	Cunei.	22. S. Francisci	S. Agathæ.
8. S. Francisci	Crescentini.	23. S. Mariae Lavezzolarum	S. Damiani.
9. S. Mariae Annuntiationis	Carmaniolæ.	24. S. Francisci	Saviliani.
10. S. Bernardini	Clavasii.	25. S. Bernardini	Salutiarum.
11. S. Georgii	Cherii.	26. S. Bernardini	Tridini.
12. S. Mariae Pratorum	Fontaneti.	27. S. Mariae Pulchrimontis	Valpergiæ.
13. S. Mariae Annuntiationis	Fossani.	28. S. Mariae de Bethlehem	Vercellarum.
14. S. Francisci	Gattinariæ.	29. S. Mariae Annuntiationis	Vigoni.
15. S. Mariae Gratiarum	Montis-Regalis.	30. S. Mariae Angelorum	Villaenovæ.

(5) Ex Arch. Prov.

(6) Diploma datum fuit sub die 5. iul. 1752.

(7) Cum, uti superius enarratum est, septem Conventus Reformati cesserit hæc D. Thomae Provincia, et alium de Mellea ipsa nacta fuerit, ideo quatuor et viginti constabat, et pro qualibet custodia octo assignati fuere, videlicet:

PRO CUSTODIA TAURINENSIS.	PRO CUSTODIA ASTENSIS.	PRO CUSTODIA PEDEMONTANA.
1. S. Thomae Apostoli — Stud. Theol. et Phil. GG. Taurini.	1. S. Bernardini — Stud. Gen. Theol. Astarum.	1. S. Mariae — Novit. Montis-Regalis.
2. S. Francisci — Stud. Phil. Crescentini.	2. SS. Annuntiationis — Stud. Mor. Carmaniolæ.	2. S. Bernardini — Nov. Salutiarum.
3. S. Mariae de Bethlehem — Novit. Vercellarum.	3. S. Georgii — Stud. Phil. Cherii.	3. S. Mariae Angelorum — Sac. Reces. Buschæ.
4. S. Mariae Pulchrimontis — Sac. Reces. Valpergiæ.	4. S. Mariae Angelorum — Stud. Phil. Braydæ.	4. S. Francisci — Stud. Phil. Saviliani.
5. S. Bernardini Clavasii.	5. S. Mariae — Sac. Reces. S. Damiani.	5. SS. Annuntiationis — Stud. Phil. Fossani.
6. S. Mariae Prator. Fontaneti.	6. S. Mariae Angelorum . Villaenovæ.	6. S. Francisci Bennarum.
7. S. Francisci Gattinariæ.	7. S. Mariae Lauret. Sinfredi.	7. S. Mariae De Mellea.
8. S. Francisci S. Agathæ.	8. S. Antonii Abbatis Clarasci.	8. SS. Annuntiationis . Vigoni.

(8) CONVENTUS PRÆMEMORATIS CUSTODIIS ASSIGNATI SEQUENTES FUERE, NIMIRUM:

CUSTODIE PEDEMONTANÆ.	CUSTODIE ASTENSIS.
1. S. Bernardini — Novit. Salutiarum.	1. S. Bernardini — Stud. Theol. Gen. 2. cl. Astarum.
2. S. Mariae Gratiarum — Novit. Montis-Regalis.	2. S. Georgii — Stud. Theol. Moral. Cherii.
3. S. Mariae Angelorum — Sac. Reces. Buschæ.	3. S. Mariae Lavezzol. — Sac. Reces. S. Damiani.
4. S. Francisci — Stud. Phil. Saviliani.	4. S. Antonii Abbatis — Stud. Phil. Clavasii.
5. SS. Annuntiationis Vigoni.	5. S. Francisci — Stud. Phil. Braydæ.
6. SS. Annuntiationis — Stud. Phil. Fossani.	6. SS. Annuntiationis — Stud. Phil. Carmaniolæ.
7. S. Francisci Bennarum.	7. S. Mariae Angelorum Villaenovæ.
8. S. Mariae Gratiarum Mellea.	8. S. Mariae Lauretanæ Sinfredi.

CUSTODIE VERCELLIENSIS.

1. S. Thomae Apostoli — Stud. Theol. 1. cl. Taurini.
2. S. Mariae de Bethlehem — Novit. Vercellarum.
3. S. Francisci — Stud. Phil. Crescentini.
4. Pulchrimontis — Sac. Reces. Valpergiae.
5. S. Bernardini Clavasii.
6. S. Francisci S. Agathae.
7. S. Mariae Pratorum Fontaneti.
8. S. Francisci Gattinariae.

CUSTODIE NOVARIENSIS.

1. S. Mariae Gratiarum — Stud. Theol. 2. cl. Viglevani.
 2. S. Mariae Gratiarum — Stud. Phil. Berinsonae.
 3. S. Mariae Gratiarum — Sac. Reces. Burgomanerii.
 4. S. Bernardini Mortariae.
 5. S. Francisci Trecati.
 6. S. Francisci Bobii.
 7. Hospitium S. Ioseph Cerani.
 8. Hospitium S. Bernardini Campolati,
- Quorum Praesides privilegio suffragandi in Capitulo gaudebant.

(9) Ex lit. dat. Romae die 7. septemb. 1815.



I.

CONVENTUS

AD S. THOMAM APOSTOLUM TAURINI

TOTIUS PROVINCIAE CAPUT

Haud sane est, cur in Augusta Taurinorum totius Pedemontanae Ditionis, Regnique Capite describenda diu moremur; neminem quippe latet quanta sit ipsius celebritas. Pauca vix perfunctorie dicere satis superque erit. Haec igitur Urbs, cuius primordia a Tyrrhena gente, quae prima e Lidia in Italiam transmigraverat, nonnulli repetunt (1); Plinius vero a Liguris hanc peramoenam regionem occupantibus (2), Romanorum, Roma tamen longe antiquior, olim Colonia fuit; iure Latii in Dictatura a Iulio Caesare fuit donata, et ab eiusdem in Imperio successore Octaviano Augustae cognomine merito decorata. — Romanis, florente Republica, et stante Imperio, Taurini Urbs diu paruit; dehinc Barbaris Italiam pessumdantibus, mox Longobardis subiecta fuit. Postmodum vero, Longobardorum regno a Carolo Magno deleta, Segusii Marchionibus accessit. Demum, Olrico Manfredo Segusiorum Marchione ultimo, et Taurini Comite fato functo, ac nuptiis Adelaidem ipsius natam inter et Oddonem Sabaudiae Comitem paulo post celebratis, ad Sabaudos Dynastas iure haereditario Taurini Comitatus transiit saeculo undecimo ad medietatem vertente, eisdemque, quamdiu per bellicas vicissitudines licuit, hucusque paruit. Sub vere paterno Allobrogum Principum iugo Taurinorum Augusta in diem effloruit, maxime postquam Regiam sedem ibi fixit Emanuel Philibertus, Quintinopolis Heros, et totius Sabaudiae Ditionis instaurator merito nuncupatus. Nemo est enim, qui hac in urbe, totius Regni Principe, aedificiorum structuram, viarum elegantiam, platearum amplitudinem, Aulicorum nobilitatem, bellicarum, domesticarumque artium peritiam, Collegiorum, et Academiarum frequentiam, Templorum nitorem, et incolarum pietatem haud demiretur. Quam praegrandem fortunam ab Augustissimis Sabaudiae Principibus hanc Pedemontii Metropolim nactam fuisse, pervulgati eiusdem Annales satis liquido testantur. —

Taurini descript.

Haec autem nobilissima, et populosa civitas, quae paucis aliis hercle concedit, singulari studio nullo non tempore Seraphicum Ordinem prosecuta est. Ab ipsis quippe Minorum primordiis perillustris Ruverea Familia Aediculam S. Victori sacram Franciscalibus ultro concessit. — Quamdiu inibi commorati fuerint Francisci filii ex monumentis histori-

Minores Taurini
recip.

cis haud liquido erui potest. Illud tamen compertum habetur, Ludovicum Romagnanum Taurinensem Antistitem, Pio II. Pont. Max. annuente (3), Ludovico Sabaudiae Duce, Clero ac populo id etiam summopere aventibus, Ecclesiam S. Solutoris Minoris prope urbis moenia septem versus Trionem sitam, quae olim ad Monachos S. Benedicti Congregationis Vallisumbrosae, tunc vero temporis ad Episcopalem mensam pertinebat, et quidquid domus, et agri circumstibat, Fratribus de Observantia anno 1461. concessisse (4). Verum cum Ecclesia, domusque eidem adnexa prae vetustate iam fatiscerent, haud incelebre Asceterium, Aedemque sacram sub titulo Sanctae Mariae Angelorum Reginae e solo eo loci excitarunt Observantes, Primoribus Civibus eleemosynas largissime erogantibus, ut opus quantocius absolveretur. Nobiliores enim Taurinenses Familiae septemdecim novi Templi sacella aere proprio extruxerunt, pretiosisque ornamentis decorarunt, ac ibidem fato functi tumulari etiam voluerunt. Prae ceteris vero singularem in Minores benevolentiam ostentavit Ruvera Familia, quae principem Ecclesiae Aram, nobilissima sua magnificentia equidem dignam, extruxit. Amplissimo huic Templo suppar quoque Coenobium plusquam sexagenos Fratres excipiendi capax piorum, et maxime Annae Ludovici Sabaudiae Ducis Uxoris liberalitate brevi absolutum fuit, illudque anno 1472. Minores commode habitare potuerunt. Quanto studio pietatem inibi colerent Francisci filii, quantave sedulitate, charitateque pari ceteros in spiritualibus iuvarent, colligere est ex Pignonio, qui quotquot ipsi erant, totidem Angelos, totve Franciscos fuisse scribit (5). —

Conv. eversio.

Ast vero dissidiis Carolum V. Imperatorem inter et Franciscum Valesium Francorum Regem exortis, ac ferme tota Subalpina Ditione ab eorum exercitibus occupata, Galli, qui Taurino potiti fuerant, rati, se ab Urbis expugnatione hostes facilius propulsaturos, si aedes suburbanas diruerent, una cum ipsis Minorum Coenobium, et Ecclesiam ad solum deiecerunt anno 1536. — Dicit vix potest, quo animi dolore tanti sacri aedificii iacturam pertulerint nedum Fratres, sed ipsi quoque Taurinenses Cives, qui pro singulari ipsorum in Seraphicos Alumnos studio, atque pietate, eos veteri eorum sede, quam a tribus et septuaginta annis incoluerant, privatos intra Urbis septa receperunt, eisdemque exiguum domum tradidere ad S. Pauli Ecclesiam, quae nunc temporis ad Equites Ss. Mauricii et Lazari pertinet, ac Magistralis Basilica nuncupatur, ibique divina celebrabant officia (6). Mox vero anno 1544, annuente Paulo III. Pont. Max., Templum D. Thomae Apostolo dicatum obtinuerunt Observantes (7), superaddita postea per Gregorium XIII. animarum cura anno 1575. (8). Singularis Taurinensium Civium, imo ipsorum Sabaudiae Ducum in Minorum sobolem benevolentia tum maxime patuit, cum de Ecclesia, vetu-

Ecc. S. Thomae
Min. trad.

state iam obsoleta, in novam elegantioremq; formam redigenda ageretur. Nam ipse Carolus Emanuel nedum operi interesse voluit, sed etiam coram Rev.^{mo} D. Hieronymo Ruvereo Taurinensi Archipraesule, et cuiusque Ordinis Civium primoribus lapidem angularem, aureis numismatibus eiusdem effigie insignitis suppositis, propriis ipse manibus ponere haud dedignatus est die 19. iunii anno 1584. (9), ac eiusdem Pientissimi Principis munificentia, aliorumque benefactorum eleemosynis brevi temporis spatio novum Templum aedificatum fuit; summus vero ipsius apex, qui perbelle in altum extollitur, absolutus fuit anno 1657. — Aram principem autem ex marmoreis lapidibus affabre sectis et perpolitis, construendam curavit munificentia equidem regia Augustus Scaglia Verrucae Comes et Calusii Marchio (10). — Caetera quoque altaria aedificarunt perillustres Civitatis Familiae (11). Ecclesiam dein numeris omnibus absolutam Reverend.^{mus} D. Marcus Antonius Vitia Vercellarum Antistes anno 1621. die 9. maii ritu solemniter dicavit.

Ad Coenobium demum quod spectat, scire praestat, quod vetus abiectissimi domicilii potius, quam Regularis Monasterii speciem praeserebat. At vero nova Religiosorum cura, piorumque benefactorum collationibus, domibus etiam hinc inde coemptis, ad ampliorem, commodioremque formam sensim redactum fuit (12). — Anno dein 1752. alia domus Conventui adnexa, quae ad Religiosos ex Ordine Servorum Deiparae spectabat, acquisita fuit pro Fratrum Valetudinario construendo, quod quidem anno 1760. penitus absolutum fuit. Huiusmodi Conventum, qui vel ab ipsa Provinciae erectione eiusdem caput fuit, incoluerunt Franciscanae Alumni ad annum usque 1801. a quo, eorum, qui rerum summam gerebant, iussu, exulare coacti sunt, et anno sequenti generalis Ordinis suppressio decreta fuit. — Rebus postea in pace compositis, Pientissimi Regis Victorii Emanuelis munificentia veterem eorum sedem iterum auspiciati sunt Observantes anno 1815. — Hoc autem Coenobium, quod totius Provinciae caput est, praeter Paroeciae curam duo quoque habet domestica Gymnasia, Philosophiae alterum, et alterum Theologiae, illudque incolunt:

Conventus
ampliat.

Sacerdotes	55.
Clerici	40.
Laici	16.
Universim	59.

(1) Vid. Cibrario, *Storia di Torino*, pag. 12. e seq. — (2) Lib. 3, cap. 17. — (3) Geminae reperiuntur in Arch. Conv. circa huiusmodi donationem Pii II. diplomata, quorum alterum dat. fuit Romae an. 1461. pridie idus ianuarii. — Alterum vero decimo kal. feb. an. 1462. — (4) Ex Arch. Epis. et Conv.

(5) In Aug. Taurin. pag. 78. — (6) Ex Arch. Conv. — (7) Ex Diplomate Pauli III. dat. Romae sexto Idus Iul. 1545. — (8) Ex Diplom. Gregorii XIII. dat. Rom. mense decemb. 1575.

(9) Ex Arch. Conv.

(10) Ad summam partem huius Altaris, quod an. 1835. fuit eversum, in orbiculato marmore sequens legebatur inscriptio:

DD. · LOCI · PRÆSIDIBVS

THOMÆ · APOSTOLO · ET · CAROLO · IVGI

LITATIONE

PROPITIANDIS

AVGVSTVS · MANFREDVS · SCAGLIA · COMES

VERRVCE · MARCHIO · CALVSH

D. · D. · D.

ANNO · DOMINI · MDXXIX.

(11) In dictis Sacellis a Taurinensium pietate constructis visuntur speciosae Icones D. Francisci, S. Didaci, et Iesus Cruci affixi, quas celebris Guillelmus Caccia vulgo *Moncalvo* pinxit, nec non B. V. ab Angelo salutatae a Martini Cignaroli Veronensis penicillo expressa.

(12) Inter alios Fratres, qui Conventum ampliandum, vel restaurandum curavere, recensendi sunt praecipue P. F. Paulus Britius, P. Franciscus a Cuneis Guard., et P. Ludovicus Guerillus a Pinarolio Provincialis Minister.

II.

CONVENTUS

AD S. ANTONIUM ABBATEM

CASALIS.

Tanarum inter et Padum amnes feracissima intercluditur regio, quam ab ubertate montium, qui passim eam intersecant, Montem-ferratum, quasi *Montem-feracem* nuncupare scriptoribus placuit. Hanc Italiae partem graphice describens Merula — *Mons est, inquit, perpetuis expansus iugis, totus amoenus et fructifer, omniumque rerum ad vitam utilium fertilis, et colonis admodum frequens . . . Nihil hic incultum habetur quidquam propter soli bonitatem, opportunitatemque, laevam Tanarus, dexteram Padus alluit, . . . et quanto magis ab amnibus abscedunt colles, tanto maiores, amoenioresque campi inter eos panduntur* (1). In hac valde amabili, et fertilissima regione ad dexteram Eridani fluviorum regis oram spectanda se praebet Urbs perillustris, quae Casale nuncupatur, quaeque a pervetusto Bodincomago ortum habuisse creditur (2). Civitas haec nobilissima, quae lapsis retro saeculis qua secundae, qua adversae fortunae concessit, Metropolis totius Montis-ferrati, eiusdemque Marchionum sedes evasit; qua Montis-ferrati Marchionatus dignitate in primis potita est Alderamorum progenies, cui postea, deficiente sub initium saeculi decimi-quarti virili sobole (3), successit Palaeologa Gens, quae Montis-ferrati Marchionatum tenuit ad annum usque 1554. — Mox vero Sangeorgio Palaeologorum ultimo vita functo, Carolus V. Imperator Montis-ferrati Marchionatum Mantuae Ducatui adiunxit (4), ac Fridericus Gonzaga eiusdem Dominatum primus nactus est (5). Maximilianus Imperator porro, veteri Marchionatus titulo abrogato, ad Ducatus dignitatem Montem-ferratum evexit, et Guillelmus III. Mantuae Dynastes Montis-ferrati Ducis nomen primus assumpsit. — Tandem Regiis Sabaudiae Principibus hic Ducatus accessit (6).

Montisferrati et
Casalis descriptio.

Nobilissima porro Casalensis Civitas totius Montis-ferrati caput, natura, situ, rerumque omnium ubertate praestantissima, pluribus aliis ex totius Pedemontanae Ditionis primoribus minime concedit. Sive enim eiusdem opulentiam, quam frequentissima, eaque superba aedificia tum publica tum privata, magnificentia fere regia constructa, et exornata abunde os-

tentant, perspicias; sive platearum, viarumque amplitudinem, atque nitorem mireris; sive quamplurimas consideres nobilissimas Familias, quae Reipublicae, et Ecclesiae viros clarissimos quovis tempore peperere; sive demum Templorum frequentiam, et incolarum pietatem atque religionem contempleris, nihil esse reliqui in ea desiderandum, facile noveris. Muris quoque interno aggere solidatis, quae maiori ex parte hodieque visuntur, ac duplici Acropoli olim Casale muniebatur, quarum vetus, quae Toparcharum domicilium erat, adhuc extat; nova autem a Vincentio Gonzaga anno 1590. extracta, eversa postea fuit anno 1695. — Item Infula Episcopali, Guillelmo Palaeologo id suppliciter deposcente, haec Civitas decorata fuit a Sixto IV. antiquissimae Ruverorum Gentis surculo, et Seraphici Patriarchae regulam iam profitente (7).

Primus Conv.
fundatur an. 1476.

In hac igitur Montis-ferrati Metropoli iam a saeculo decimoquinto sedem nacti sunt Minores de Observantia. Nam haud procul ab Urbis moenibus extra portam vulgo (Della Rocca) Guillelmus Montis-ferrati Marchio Coenobii, et Ecclesiae sub invocatione S. Mariae Angelorum fundamenta iecit, facultate a Sixto IV. Pont. Max. impetrata, anno 1476. (8). Pientissimi Toparchae auspiciis, et opibus, nec non civium collationibus, Fratrumque solertia, Asceterium iuxta, ac Templum brevi numeris omnibus absoluta fuere. Octoginta ferme annis ibi commorati sunt Observantes. Posthac, perstrepeute bellorum tumultu, Cosseus de Brissac Gallorum Dux, qui Casalensi urbe haud sine dolo potitus fuerat (9), quo facilius hostiles impetus compesceret, extramuranum Minorum Coenobium et Ecclesiam solo aequavit anno 1555. — Interim D. Antonius Montilius vir nobilitate, pietateque clarus Aedem intra urbis septa Divo Antonio Abbati sacram, cuius praepositura insignitus ipse erat, una cum domo, et horto eidem adnexis, Observantibus veteri eorum sede privatis ultro dedit, sibi tamen ac Genti suae Iurepatronatus in perpetuo retento. — Verum Montilius paulo post inexorabili fato concessit, ac Divi Antonii praepositura, quae a Romani Pontificis beneplacito erat, Ludovico de Sartis Praesbytero Ferrariensi collata fuit, qui tamen Casalensi Praesule Scipione Atestino, ac Primoribus civitatis id summopere aventibus, pii praedecessoris largitatem secutus, cuncta Minoribus resignavit, S.^{mo} Pio V. Pont. Max. benignissime annuente (10).

Conv. S. Antonii.

Sacram hanc Divi Antonii Aedem anno 1500. excitatam, ampliata vero anno 1545. Casalensis Antistes Scipio Atestinus ritu solemniter dicavit anno 1559. (11), ac vetustate obsoletam Civitas restauravit anno 1785. — Conventus porro, quem S. Antonii de S. Antonio Viennensi Alumni aliquando incoluerant, quemque a praefatis DD. Antonio Montilio, et Ludovico de Sartis acceptum habuere Observantes, solerti eorundem cura, civiumque eleemosynas largissime erogantium opera, sensim reffectus, et

amplius fuit; tunc maxime cum nobilissima Familia Callori satis amplam domum eidem adhaerentem munifica liberalitate Fratribus concessit anno 1622. (12). — Hoc Coenobium, in quo terdeni Religiosi commode capi possunt, ex primariis erat S. Didaci Provinciae, ibique commorati sunt Fratres usque ad Ordinum Regularium suppressionem, quae contigit anno 1802. — Ast vero, regia pientissimi Victorii Emanuelis civium votis annuentis munificentia, Franciscales Alumni renascentis D. Thomae Apostoli Provinciae vetus Casalense domicilium solemnem pompa, et incolarum gratulatione iterum ingrediebantur die 14. iulii anno 1818.

Observ. Casal.
denuo recip.

Civium Casalensium in Observantes comitas, ac benevolentia, quae nullo tempore eorum animis excessit, emicuit etiam quammaxime hac ipsa aetate nostra. — Re sane vera sacra D. Antonii Aedes anno 1851. magna pompa exornabatur, quatenus, qua fieri posset, maiori solemnitate, festum SS. Cordis B. V. prima junii dominica die, coleretur. Ast heu lugenda catastrophe! Dum enim nox ante magnae illius festivitatis diem in suo cursu medium iter perageret, altumque silentium tenerent omnia, diram in Ara principe excitatur incendium, ac pretiosiora quaeque edacibus flammis brevi hora consumuntur. Maius quippe Altare, quod perbelle in altum sese extollebat, ex ligno affabre elaborato, et perpolito a clarissima Gente patritia Montilio quondam exstructum, exquisitissimis anaglyphis insculptis et speciosa concinnitate intertextis exornatum, et undequaque auro pretioso tectum; item venustissimum B. V. sine labe Conceptae Simulacrum, quod iugi fidelium venerationi patebat, organum, sacra lipsana, et pretiosior quaeque supellex una brevi comburuntur. Interim tanta calamitate Fratres percussi, moerentes sine remedio iacturam lamentabantur. — Ast relatu haud sane facile, qua solertia, quave largitate inter se certarent cuiusvis ordinis cives, ut Sacra D. Antonii Aedes, quae squallore prae incendio sordescerat, quantocius restauraretur. Unum erat ad opus absolvendum omnium votum, ac vel ipsae primores civitatis matronae ultroneas oblationes ostiatim colligere haud dedignatae sunt (13); sicque inexhausta piorum vel eleemosynas largissime erogantium, vel necessaria abunde suggerentium pietate, elegantius ac magnificentius brevi Templum evasit. Prae ceteris memoratu, et praeconiis dignus est equidem clarissimus Eques Fredericus Montilio, qui maiorum suorum in Franciscales studii minime degener, Aram maximam, quae superbe extollitur, laterario quidem, sed marmorato opere constructam, aere proprio inaurandam curavit, superposito quoque nobilissimae Gentis suae stemmate, in juris patronatus, quo potitur, signum. Si tanta igitur est Casalensium pietas nullo negotio persuadere tibi potes, libentissime in eo Coenobio commorari Fratres, qui ut gratas benefactoribus vices pro viribus rependant, subsidia spiritualia quotidie omnibus praebent qua confessionibus audiendis, qua divini verbi

praedicatione. Hunc enim Conventum, in quo Moralis Theologiae, et Sacrae Eloquentiae Gen. studium habetur, incolunt:

Sacerdotes 20.

Laici 4.

Universim 24.

(1) Merna — Lib. 6. Antiquitatum. — (2) *Fatto storico della Città di Casale*, pag. 7.

(3) Joan. Alderamorum ultimus supremum diem clausit XV. kal. feb. MCCC. —

(4) Diploma Caesareum datum fuit die 3. novemb. 1536. — (5) Alghisio, tom. 2, lib. 4.

(6) An. 1713. Sub. Victorio Amedeo II. — (7) Pontif. Diploma datum fuit. X. kal. maii MCCCCLXXIV.

(8) Vid. Wading. tom. 13, pag. 330. — (9) Botta, *Storia d'Italia*, lib. 9.

(10) Sum. Pont. Diploma datum fuit Romae an. 1566, 18. octob.

(11) Ex Arch. Conv. — (12) Ex eodem Archiv.

(13) Inter alias recensendae sunt nobilissimae Comitissae Julia Sannazaro — Magdalena Gloria — Eugenia Pastoris — Adelais Rogeri — Gabriela Sannazaro — Marchionissa Theresia Ricci — nec non clarissimae foeminae Delphina Grattone — Theresia Saccone — Angelina Ronfano — Theresia Canina — Felicitas Pedrotti — et Camilla Raitè.

III.
 CONVENTUS
 S. BERNARDINI SENENSIS
 PROPE SALUTIARUM URBEM
 SITUS.

Salutiarum
 descriptio.

Ad imam partem feracissimorum collium ex radicibus *Alpium* emergentium, et haud procul ab ipsa *Padi* fluvii scaturigine insignis hercle, ac nobilissima *Sabaudiae Ditionis* civitas *Salutiarum* spectanda se praebet. Altera ipsius pars in planitie sedet, altera vero super lenem clivi flexuram perbelle assurgit, quasi totius *Pedemontii* pulchritudines prospectare desiderans. Nam orientem solem versus latissimum patet aequor fertilissimis arvis, et viridiscantibus pratis ornatum, irriguis ubertim aquarum rivulis intersecatum, ac urbibus, pagis, campestribusque domiciliis undique locupletatum, quod ex altera parte a fructiferis *Liguriae*, sive *Langarum*, ex altera vero *Taurini*, et *Astae* collibus terminatur, adeo ut pulcherrima et gratissima amphitheatri forma contemplanti se offerat visenda. Ad austrum, et occidentem porro alii aliis editiores prospiciuntur montes, quorum leniores flexuras, maxime solem versus, pomiferae arbores, diligentissimeque exulta vineta vestiunt; superiores autem partes, easque potissimum, quae *Boream* prospectant, spatiosa castanearum nemora adumbrant. Frequentes etiam huc, illucque visuntur *Aedes* magnificae, ubi divitum, nobiliumque familiae, coeli, solique fascino, et aëris salubritate allectae rurari gestiunt. Prae ceteris autem, qui circumcirca elevantur, montibus, altissimus sese praebet undique visendus pyramidatus *Vesulus Marittimas a Cottiis Alpibus* dirimens, e cuius gremio *Eridanus* fluviorum rex erumpit, qui in subiectam vallem ab eodem nuncupatam praeceps descendens *Salutiarum* Provinciam alluit, atque foecundat. Ex hisce itaque facile colligis, quam pulchra, quam delectabilis sit regio *Salutiensis*; dum nec aëris salubritas, nec coeli temperies, neque soli ubertas inibi desideratur. —

Quod spectat autem ad huiusce urbis primordia, variasque subinde eiusdem fortunas paucis retulisse satis, eam a *Liguris Bagiennis* fortasse aedificatam fuisse; — Romanis, sive stante Republica, sive florente Imperio diu paruisse; — posteriori aevo porro *Barbarorum* irruptionem, et iugum semel et iterum expertam fuisse. Verum a *Carolo Magno Longobardorum*

Regno deleto, atque Toparchis huc illucque creatis, Salutarum Urbs Auriatensibus comitibus primum, dehinc Taurinensibus, et Segusinis, demum Savonensibus Marchionibus subiecta fuit. Mox Bonifacio Savonensi Marchione e vivis erepto, Salutiensis Civitas Marchionum sedes evasit, saeculo duodecimo ineunte, primusque ab ea nuncupatus Marchio fuit Manfredus praefati Bonifacii filius. — Quatuor ferme saeculis Salutarum Marchionatus floruit; dein in Caroli Emanuelis I. Sabaudiae Principis, eiusque successorum potestatem transiit. In hac igitur perantiqua, religiosissimaque urbe, saeculo decimoquinto, sedem auspicati sunt pauperes Francisci filii. Cura siquidem, ac sollicitudine P. Benedicti ab Intraquis, haud procul a moenibus paulo editioris montis in acclivitate iuxta viam, quae a Sancta Cruce nuncupabatur, Coenobii sub Divi Bernardini Senensis titulo primum lapidem posuit die 20. Augusti anno 1471. Ludovicus I. Salutarum Marchio (1), facultate a Sixto IV. Pont. Max. prius impetrata. Interim primorum Salutiensium opibus, ac munificentissima praefati Ludovici liberalitate Asceterium, aequae ac Templum numeris omnibus brevi absoluta fuere. Hoc Coenobium longe maioris, quam in praesentiarum sit, amplitudinis, atque capacitatis olim fortasse erat; refert enim Augustinus ab Ecclesia Pedemontanae historiae scriptor, vir nobilitate, ingenio, doctrinaque clarus, et Salutiensibus Infulis merito donatus, Generalia Comitia die 14. Martii, anno 1520. ibi fuisse celebrata, Ordinem moderante R.^{mo} Patre Francisco Lichetto a Brixia. Verum quo fundamento suffultus, haec evulgaverit citatus auctor nescio, cum de hisce nulla penitus mentio fiat in Ordinis Annalibus. — Ceterum hodiernum Salutiense Coenobium, utcumque veteri inferius habeatur, inter Provinciae elegantiora tamen haud immerito recenseatur, oportet. Illud enim situm conspicis in leni et amabili eminentis collis, fertilibus undequaque vinetis inter se ubertate certantibus circumsepti, acclivitate. Illud etiam animi laxandi, et pietatis colendae gratia multiformibus hortis, viridariis, vinetis, pomariis, pratis, et luco, iisque omnibus muro circumquaque septis locupletatum vides. Quid porro elegantius amplissimo illo solario a P. Andrea a Cercenasco excitato, quod totam ferme Pedemontanam Regionem, quantum oculorum acies sese effudit, perbelle prospectat? Quid venustius satis amplo illo Claustro a nava P. Thomae a Roccavilione L. Iub., et ex-Ministri cura mirifice exornato, cuius in lunulis praecipuorum Ordinis Heroum effigies, vulgari licet penicillo, expressae visuntur? Quid iucundius atque commodius Religiosorum cellulis, et habitaculis, in quibus licet nihil a Seraphica paupertate habeatur alienum, nihil tamen, quod religiosam decet utilitatem, deest? Quid demum elegantius locupletissima illa Bibliotheca, in qua scientiarum quarumcumque cultoribus nihil desiderandum superest? Haud mirum itaque, si prae singulari venustate, aëris salubritate, coeli

Convent. fund.
anno 1471.

splendore, loci ubertate, aliisque ornamentis pluribus Religiosorum utilitati inservientibus Salutiarum Conventus gratissimum praebeat Fratribus habitaculum.

Hisce omnibus accedit satis amplum, ac venustissimum Templum Divo a Senis Bernardino dicatum, quod laqueari, tignis perpolitus fulto, olim tecto, nunc pereleganti superbit abside, quam iuxta Fr. Pii Poncini ex Ordine Praedicatorum typum Excellentissimus D. Benedictus Salutius Mantae Comes anno 1753. maximis sumptibus construendam curavit (2), quamque postea optimi penicilli picturis affabre exornarunt (3). — Sacram hanc Aedem terdena Sacella decorant, quae praecipuarum nobilium familiarum opibus, atque pietate venustissimis Iconibus, et albarii operis ornamentis locupletata fuere. —

Periucundum hocce Minorum habitaculum, quo Januensis Provincia olim potiebatur, haec D. Thomae Apostoli nacta est anno 1622., ibique commorati sunt Observantes ad annum usque 1802. — Mox Fratribus desertum Nobilissimae Gentis Marchionalis Salutiarum pietas ab omni temporum iniuria servavit incolume, vixque nubilus temporibus pacis serenitas successit, primis suis habitatoribus illico restitutum fuit, qui die 11. Junii, anno 1816. summa Civium, omniumque accolarum gratulatione veteres eorum lares iterum auspicati sunt. Porro sapientissimo ducti consilio renascentis Provinciae Patres sedem ibi fixere Tyronum, quos Moderatores optimi Franciscanae militiae rudimentis vigili cura imbuebant; quod tamen tyrocinium temporum calamitatibus concessit anno 1848., in eiusque locum Generale suffectum fuit Gymnasium, in quo Theologiam Moralem, Sacramque Eloquentiam geminis sub Lectoribus Seraphica iuventa edocebatur. Modo vero idem studium alio translatum fuit. Heic demum memoratu digni sunt Patres Antonius Peyronus a Bennis, ac Delphinus Gastaldus a Scarnafixio Conventus per vices Coenobiarchae, quorum alter absidem Choro, et Arae principi imminentem, quae prae vetustate iam fatiscebat, anno 1845. restaurandam, et altius extollendam, alter vero venustissimis picturis exornandam curavit. —

In hoc porro Salutiarum Coenobio degunt in presentiarum:

Sacerdotes	12.
Laici	2.
Universim	14.

(1) Ex tabulis, quas vulgavit Cl. Delphinus Muletti in suo opere — *Storia di Saluzzo*, vol. 5., pag. 119. Hinc in errorem incidisse videtur Paulus Britius, qui in suis *Seraphicis Subalpinae Divi Thomae Prov. Monumentis* pag. 77. Conventus foundationem refert ad an. 1473.

(2) Ex Archiv. Conventus. — Item Nobilissimae Gentis Marchionalis Salutiensis pietatis ut perenne extet memoria, adest in Sacello D. Margaritae sacro hoc literatum marmor:

D · O · M

DIVAE · MARGARITAE · DE · CORTONA

QVAM · XVI · MAII · ANNO · REPARATAE · SALVTIS · MDCCVIII

SACRA · RECVR · PENTECOSTES · DIE

BENEDICTVS · XIII · FELIC · RECORD.

SANCTORVM · ALBO · SOLEMNITER · ADSCRIPSIT

HANC · IN · PATRONAM · ELEGIT · EIVSQVE · SACELLVM

RESTAVRANDVM · AC · INTERIOREM · HANC

DIVI · BERNARDINI · ECCLESIAM · A · FVNDAMENTIS

VNA · CVM · ABSIDE · MAXIMIS · IMPENSIS

ERIGENDAM · CVRAVIT

AC · MIRA · VARIETATE · DECORAVIT

BENEDICTVS · SALVTIVS.

(3) Absidem Sancta Sanctorum versus depinxit an. 1754. Joannes Dominicus Rosso a Buscha, versus januam vero Clar. Pozzo an. 1755. — Venustissimas Effigies Divorum Bernardini Senensis, ac Margaritae Cortonensis, quae media in Abside visuntur, udo colore perbelle expressit cl. Operti a Brayda. — Albarii operis ornamenta porro celebris Muttis a Scarnafixio perfecit.

IV.

CONVENTUS

SUB INVOCATIONE NATIVITATIS B. M. V.

PULCHRIMONTIS PROPE VALPERGIAM IN DIOECESI TAURINENSI.

Ad imam partem amoenissimi clivi Orientem versus Valpergia, insigne Canapitii oppidum, occurrit. Inibi, elegantissimo, validissimoque Castro super colliculi dorso aedificato, sedem quondam habebant Comites, qui ab eodem oppido nuncupabantur, antiquissimi Eporediae Marchionum et Regum Italiae surculi, qui nullo non tempore tum Ecclesiae, tum Republicae clarissimos peperere viros. Huic oppido praecelsus imminet mons a loci pulchritudine pulcher nuncupatus, nemoribus, silvisque circumseptus, cuius in apice Monasterium sub Gloriosae Deiparae Nativitatis Invocatione insidet, quod ab Arduino Italiae Rege, ipsa B. V. suadente, extractum fuit. Cum enim a devio salutis tramite regios inter luxus inopina mutatione in meliorem frugem revocatus perillustris Princeps, ac prioris fortunae iacturam aequo animo ferens, gravi diutinaque aegritudine premeretur, Deiparae Virginis apparitione in Eporediae Castro recreari meruit, ab eaque gratum accepit nuntium, se pristinam consequitur salutem, si Ecclesiam eius Nomini dicatam in praedicto monte construendam curaret, eamque S. Benedicti Monachis custodiendam traderet. Sanitatem itaque nactus Augustissimus Princeps magno cum gaudio Valpergiam petiit, et una cum Guillelmo eius filio celeberrimi S. Benigni Monasterii Abbate, et quinquagenis Monachis montem laetabundus descendit, ibique primum Ecclesiae, ac Monasterii lapidem nono kal. Dec. an. MXVI. ipse iecit, supposito quoque aureo numismate eiusdem, nec non Guillelmi filii effigie insignito cum hac inscriptione: *Arduinus Rex — Vellelmus servus Servorum Dei (1)*; quae omnia brevi absoluta, pluribusque redditibus aucta dictis Monachis Sancti Benedicti ultro collata fuere.

Valpergiae
et Pulchrimontis
situs.

Monasterii Pulchrimontis origo.

Huiusce, quem sibi in sempiternum elegerat Dei Genitrix Virgo, loci cultui tribus ferme saeculis inservierunt S. Benedicti alumni. Posthac Ecclesiae cultus cum ob ingruentes temporum calamitates iam negligetur, eadem Virgo Dei Parens Guidoni ex Valpergiae Comitibus, qui Monachus prius, et infulatus Fructuariensis S. Benigni Monasterii Abbas,

Monialium in Pul-
chr. translatio.

dein ad Astensem Cathedram euectus fuerat, graviter decumbenti apparuit, die S. Secundo Astae Sospitatori sacra, an. 1304., eique sanitatem pollicita est, ea tamen conditione, ut in Pulchrimontis Asceterio, quod bellorum, temporumque iniuria iam fatiscebat, sacras Virgines ex Ordine S. Benedicti in Monachorum locum sufficeret. Quo nuntio laetanter accepto, sacer ille Praesul ex Astae Monasteriis duodecim selegit Sanctimoniales ex nobilioribus familiis, easque restauratis prius restaurandis, in Pulchrimontis Coenobium transtulit. Inibi sacrae illae Vestales in odorem unguentorum Christi Sponsi certatim currebant, cultumque Divinae Parentis, cuius pretiosum in Ecclesia Simulacrum asservabatur, sedula pietate fovebant. Quo factum est, ut in Pulchrimontis Ecclesiam pietas pene collapsa, brevi restaurata, finitimorumque incolarum in Sospitaticem Virginem devotio summopere aucta fuerit (2).

Verum sub finem saeculi decimi sexti, tum ob bellorum tumultus circumquaque perstrepscentes, tum maxime ut Conc. Trid. decreto, quo sancitum fuerat, ut Sanctimoniales ex Monasteriis ab urbibus, vel oppidis dissitis in tutiora loca se reciperent, parerent sacrae illae Virgines Pulchrimontis incolae, de alio migrando, ac de sacro Deiparae Simulacro secum deferendo, consilium iniere. Perdolentes igitur discessum iam ipsae adornabant, iamque e limine templi egrediebantur tanti pignoris, quod secum advehebant maxime confisae, cum meridianam solis lucem atra nox de repente adeo obnubilavit, ut ipsae, frequentesve comitantes turbae penitus coecutirent; neque optata lux refulsit, donec Virginis Imago ad pristinam sedem restituta fuit. Hinc piae illae Sanctimoniales, sacro Divinae Parentis Simulacro eo relicto, solae Valpergiam petiere, dein Corniati sedem nactae sunt.

Observantes
Custodes B. V. M.
anno 1602.

Cum porro de pretiosa Coelitum Reginae Imagine custodienda ageretur, omnium aptissimi visi sunt Seraphici Patriarchae ab Assisio Francisci filii, qui Clemente VIII. Pont. Max. annuente, Valpergiae Comitibus opitulantis, finitimisque incolis plaudentibus, Pulchrimontis Monasterium auspicati sunt an. salutis 1602. — Franciscuales interim Sanctimonialibus suffecti, et Valpergiae Comitum munificentia, et oppidanorum opibus adiuti, sensim effecerunt, ut loci amoenitati suppar quoque evaderet aedificii splendor. — Nam Coenobium sensim ampliatum, sacra Aedes restaurata, pretiosisque ornamentis decorata fuit, cuius Aram principem ex perpolitibus, et versicoloribus marmoreis lapidibus construendam curavit Excell. D. Carolus Franciscus ex Comitibus Valpergiae et Maxini, Regiae Maiestatis in Regni negotiis ferendis praefectus. — Quod tamen pretiosum opus calamitosi aevi nostri initio, quo Fratres dispersi sunt, eversum, ac veni datum fuit. Item P. Michaelis Angeli a Montilio iam Missionarii Apostolici et Pulchrimontis Coenobiarchae solertia, finiti-

morum oppidanorum, ac nobilium virorum sumptibus, Capellae, seu Stationes *Viae Crucis* affabre depictae circa et supra montem exstructae fuere (quas nunc temporis pene eversas lamentamur). — Hinc est, quod inter Provinciae pulchriores et commodiores Conventus, hic Pulchrimontis haud immerito recensebatur, ac P. Caroli Emanuelis De-Gregory Crescentinensis Prov. Ministri opera pro sacro Recessu an. 1752. deputabatur, quo religiosiores Fratres sibi, Deoque vacandi desiderio flagrantese recipiebant. Hinc etiam, ne quid gloriae et honoris Pulchrimontis Coenobio deesset, ipsius Ecclesia Sanctuarii nomine aucta fuit, et sacer-rimum B. M. V. Simulacrum, Pio VI. Pont. Max. annuente, Iacobus Petrus Ignatius Maria Valperga ex Comitibus Maxini, Fructuariensis Abbas aurea corona solemniter redimibat XVI. kal. Septembris MDCCLXXXVIII (3).

Hocce habitaculum, quod iure, meritoque Pedemontii Alverna compellabatur, incoluerunt Observantes ad sui, finitimorumque incolarum in spiritualibus utilitatem usque ad generalem Ordinum abolitionem, imperante Napoleone, decretam. Mox vero Pulchrimontis Coenobium Fratribus desertum, ac veni expositum aere proprio redemerunt an. 1805. III. mi Domini Comes Ioseph Valperga de Malione, ac Iacobus item Valperga a Maxino iam S. Benigni Fructuariensis Monasterii Abbas, qui anno 1809. quam partem ad praefatum Comitem spectabat, eam ipse quoque acquisivit. Porro die 30. Ian. 1812. fato correptus supremis tabulis sui haeredem constituit D. Carolum Franciscum Valperga a Maxino, qui avorum suorum de Franciscalibus quovis tempore optime meritorum vestigia secutus, Victorio Emanuele annuente (4), dira post fata surgenti D. Thomae Provinciae Pulchrimontis Sanctuarium una cum domibus et hortis ad-nexis ultro concessit anno 1816, proprietate tamen sibi, suisque haeredibus retenta. — Observantes igitur die 25. Septembris eiusdem anni veteres eorum lares auspicati sunt (5). Porro anno 1817, P. Victorio Rosa a Villafranca Pedemontis Provinciam moderante, Pulchrimontis Conventus pro Novitiatu deputatus fuit. Fratres inibi commorantes praeterquamquod auxilium praebent finitimis animarum Curatoribus, a spiritualibus subsidiis etiam quotidie sunt Christifidelibus, qui ad sacrum Virginis Delubrum catervatim undique confluunt, aut grates pro donis acceptis reddituri, aut beneficia impetraturi (6).

Observ. iterum
in Pulch. recip.

Sacerdotes . . .	8.
Laici	3.
Universim . . .	11.

(1) Ex Archiv. Conventus. — (2) Paulus Britius, Serafica D. Thom. Prov. monumenta, pag. 166.

(3) Ex Archiv. Conv. — (4) Reg. Plac. dat. fuit die 13. Septem. an. 1816.

(5) Ex Arch. Conv.

(6) Quae fusiori calamo de Pulchrimontis Coenobio scripta sunt, marmor literatum, quod in Ecclesiae superliminari visitur, paucis hisce verbis complectitur :

D · O · M

QVOD · COENOBIVM · SACRAM · HANC
 AD · AEDM · ARDVINI · REGIS · PIO · SVMP TV · INIT.
 SÆCVLI · XI · EXTRVCTAM · HABVERE · OLIM
 D · BENED · MONACHI · AN · PENE · CCC.
 TVM · MONIALES · EIVSDEM · ORD · FERE · TOTIDEM
 HABENT · NUNC
 FRATRES · MIN · OBSERV · D · FRANCISCI
 QVIBVS · PETENTIBVS
 IAC · PET · IGN · MARIA · VALPERGA
 EX · COMITIBVS · MAXINI · ABBAS · FRVCTVARIENSIS
 B · M · V · SIMVLACRVM · SACERRIMVM
 POP · FREQVENTIA · RELIG · CAVSSA · CONFLVENTIVM
 VALDE · IN · EA · CELEBRE
 PIO · VI · PONT · M · ADNVENTE
 SOLEMNI · RITV · CORONAVIT
 XVI · KAL · SEPT · MDCCLXXXVIII.

CONVENTUS

AD S. AB ASSISIO FRANCISCUM

IN URBE AQUARUM.

Aquarum Urbem a Statyellis, Alpina gente, conditam, de qua Plinius (1), Strabo (2), M. Tullius (3) verba faciunt, peramoenos inter clivos vinetis consitos, ad laevam Burmidae amnis oram, sitam conspicis; eamque a pluribus calidis, atque medicatis aquis, quae undique scatent, nomen suum sortitam fuisse, facile est coniecere. Nam praeter illum vere mirabilem ferventem laticem media in Urbe locuplete vena continuo manantem, alii plurimi quoque fontes, et rivuli circumquaque occurrunt. — Sed prae ceteris maxime praecellunt, quae ad dexteram Burmidae ripam, in montis, quem Stregonem appellant, ima parte publicae ferventes Thermae visuntur, pluribus medendis morbis aptissimae, ubi tanta aquarum medicatarum copia, tantaque aedificiorum elegantia conspicitur, ut pene ambigeres, quid praestantius habendum sit, utrum natura, quae undique arridet, an vero artis magnificentia, quae incolis, hospitibus, et adventoribus nihil desiderandum relinquit (4). Urbis descriptio.

Quanta porro huiusce Urbis antiquitas sit, vetusta moenia, pavimenta tessellata, libatoria vasa, veterum sepulcrorum ruinae, numismata varia, idola, aedificiorum opere, ut vocant, musivo exornatorum rudera, aquaeductuum, nec non viae Æmiliae, sic dictae, utpote a M. Æmilio Scauro restauratae vestigia, et alia id genus bene multa, quae passim reperiuntur, evidentissime testantur (5). Ast ne dum veneranda antiquitate Aquarum Urbs merito superbit, sed etiam robore militari gloriatur, ac Viris clarissimis, qui ad summos quandoque honores evecti Patriam illustrarunt. Insuper vel a primis Ecclesiae saeculis Episcopatus dignitate praefulget; nam, uti constans traditio est, a Beato Silvestro prima Infula decorata ipsa fuit (6). — Demum, quod omnia superat, Coelites quoque ostentat, quos aliquando in lucem protulit, nunc vero sideribus receptos, et cum Christo regnantes veluti Patronos veneratur.

Hanc itaque in Urbem ipsum pauperum Patriarcham Franciscum receptum fuisse traditur, eiusque filii anno a Dominica Incarnatione 1244. ibi fixere sedem. Nam pietissimum Canonicorum Collegium Ecclesiam S. Ioannis in Suburbio sitam, cum domibus ac sedimine ad eam perti- Conventus fund.

mentibus, ultro Minoribus concessit (7). Dehinc, procedente tempore, novum Templum Divo Patri Francisco dicatum, et satis amplum Asce-
 terium Fratres adorsi sunt, et piorum collationibus utrumque sensim
 perfecerunt. — Hoc Coenobium, quod ad Ianuensem primum, dein ad
 S. Didaci Provinciam spectabat, incoluerunt Observantes usque ad
 annum 1802. — Post generalem Ordinum abolitionem Ecclesia diruta
 fuit, Conventu tamen asservato, quem, Carolo Felici Rege pientissimo
 annuente (8), Illustriss. ac Reverendiss. D. Carolus Sappa de Milanesi
 Aquensis Antistes, qui eiusdem usu potiebatur, munifica liberalitate Fra-
 tribus de Observantia Provinciae D. Thomae ultro concessit anno 1823.,
 qui triumphali plausu, ac profusis Civium gaudiis illum ingrediebantur
 anno 1824. — Mox Fratres novi et amplioris Templi eo loci, ubi vetus
 olim extabat, reaedificandi maximo flagrabant desiderio. Sola itaque Dei
 providentia nisi fundamenta iecere, P. Ferdinando Baldissone ab Aquis
 Provinciae olim S. Didaci alumno, et primo Conventus Moderatore po-
 tissimum impellente, ac tantam ad opus perficiendum experti sunt Civium
 liberalitatem, ut vix dici possit, quam sedulos necessariis providendis,
 quam incessantes artificibus exhortandis, quam indefessos laboribus
 subeundis, quam solertes lateribus, lignis et calce provehendis, quamque
 prodigos opibus suggerendis Aquenses se praeberint (9). — Tandem
 ingenti triginta fere annorum labore, nava Fratrum solertia (10), pri-
 morum Civium, ac bonorum omnium largitate, Templum, quod omnium
 erat in votis, absolutum fuit, illudque ritu religioso prius dicatum, trium-
 phali omnium gratulatione die 26. Novembris anno 1854. laetabundi in-
 gressi sunt pauperes Francisci filii, primam Hostiam solemniter in eo
 litante P. Fr. Honorato Corrado a Veteri-Capite Provinciae Moderatore.
 — Hocce Minorum Templum, licet una dumtaxat abside constet, attamen
 eam praesertim elegantiam, atque magnitudinem, ut nullis aliis Urbis con-
 cedat. — Hinc in venustissimi huius Templi superliminari haud immerito
 haec verba conscribenda forent:

Novi Templi
 aedificatio.

D · O · M

AVGVSTVM · HOCCE · RELIGIONIS · MONVMENTVM

DIVO · PATRI · AB · ASSISIO · FRANCISCO

DICATVM

PAVPERVM · FILIORVM · SOLERTIA

PRIMORVM · CIVIVM · ATQVE · PIORVM · MVNIFICENTIA

SERO · SED · SERIVS

EXTRVCTVM

ACCOLÆ · CITIMI · ET · CONVENÆ

ADMIRAMINOR

VI · KAL · DECEMB · MDCCCLIV.

Faxit interim Deus, ut Observantes Aquensibus Civibus acceptissimi Templum nuperrime aedificatum diu incolere possint ad Dei cultum, et animarum praesidium. — Commorantur autem ibi:

Sacerdotes 9.

Laici 3.

Universim 12.

(1) Lib. 3, cap. 5. — (2) Lib. 5. — (3) Lib. 2. Epist. — (4) Videsis — *Cenni sulle Terme di Acqui del Cav. Dott. Granetti*. — (5) Plurima antiquitatis monumenta collecta visuntur apud Illustriss. Comitem Lucam Probum Blesi.

(6) In aula Episcopali haec leguntur:

B. · SILVESTRVM · PONT. · MAX. · QVI · CREAVIT
PER · DIVERSA · LOCA · EPISCOPOS · LV.
CONTVLISSE · DIGNITATEM · CATHEDRÆ · EPISCOP.
HVIC · CIVITATI · HVIVS · EST · ECCLESIE · TRADITIO.

(7) Ex Tabulario Capit. Aquens. col. 217, num. 205. — (8) Reg. Decretum dat. sub die 2. feb. 1823.

(9) Inter alios, qui Templi aedificationem quammaxime excitarunt, praecelluit Excellentiss. ac Reverendiss. F. Modestus Contractus ex Ord. Capp. Aquensis Praesul vigilantissimus, qui nedum opibus adjuvit, sed Encyclicas literas quoque in totam Dioecesim misit, ut fideles hortaretur ad tantum opus omnium collationibus perficiendum. Laude quoque dignus est Illustriss. Eques Guidus Cavalleri Conventus Syndicus Apostolicus, qui neque labori, neque ingenio umquam pepercit, quatenus operi perficiendo in omnibus praesto esset.

(10) Prae ceteris memoria digni sunt PP. FF. Cyrillus Chiabrera a Ripalta, et Iulius Caesar Panara a Cassinis, qui per vices Conventus Moderatores fuere.

CONVENTVS

S. CATHARINÆ VIRGINIS, ET MARTYRIS

ASTÆ.

Astae descriptio.

Ex aliis pluribus Civitatibus, quae in Subalpina Ditione passim occurrunt, paucis sane concedit Asta, quam haud procul a Tanaro fluvio sitam conspicis, opportunissimo equidem in loco. — Nam si Orientem, ac Meridiem versus prospicias, frugifera, ac pulcherrimis undique locupletata campestribus domiciliis, late patent arva, ubi laetam diceres inhabitare Cererem; — si vero ad occiduum Solem, et ad Aquilonem te convertas, delectaberis a multiplicitate clivorum, vinetis, fructiferisque arboribus undequaque consitorum, qui levi flexura alii aliis eminentiores iucundissimam praebent prospectivam. Haec gaudet versari Baccus; uberrima enim vini copia provenit, quod adeo generosum est, ut eo in pretio apud Pedemontanos habeatur, quo Creticum olim, Falernumque apud Romanos. Astae porro si initium quaeras, longe antiquius est, quam quod certo attingi possit; non desunt quippe scriptores, qui eiusdem primordia ad Noë usque nepotes referunt (1). — Eam utpote aptissimo ad hostiles impetus compescendos loco sitam, Brennum Gallorum Ducem Castro muniisse; Pompeium Magnum restaurasse, moenibus circumsepsisse, atque Coloniam eo loci deduxisse, ferunt, unde Asta Pompeia cognominata postea fuit. Haec Urbs nedum Romanis rerum potentibus, sed supervenientibus quoque saeculis maxime floruit, quemadmodum eiusdem Annales abunde testantur. Hinc iure meritoque inter amplissimas ac nobilissimas Italiae Urbes Asta cooptata olim fuit. Tandem diversa post fata, quae, variante fortuna, subiit, a Carolo V. Imperatore Beatrici Lusitanae Caroli Allobrogum Ducis uxori tradita fuit una cum eidem subdito Comitatu, oppidisque annexis, et ex eo tempore Sabaudiae Principibus Asta paruit.

Nobilissima haec Civitas magnificentiae pietatem quoque nullo non tempore coniunxit; iam enim a saeculo tertio suos enumerat Episcopos, qui Mediolanensis Metropolitae suffraganei erant, et inter eos plures Sanctorum syllabo adscripti sunt: item amplissima, et venustissima Tempa, cuiusve Ordinis Monasteria, quae multo plura, quam recentius

fuerint restaurata, olim numerabantur, Astensem pietatem, religionem, et humanitatem satis ostentabant. Hinc merito haec Urbs sequenti versu iam fuit commendata:

Civibus humanis decoratur Asta fidelis.

Hinc haud mirum, si Seraphica Soboles in hac religiosissima Urbe vel ab ipsis Assisiatis Patriarchae temporibus sedem fixit. Fertur enim, ipsum pauperum Patrem Eccesiolam Divo Joanni sacram, vulgo *de Palude* nuncupatam, ad collium radices Occidentem versus positam, ab Astensibus acceptam habuisse. Eo in loco Francisci Filii Asceterium aedificarunt primorum Astensium largitate vere dignum. Ast diutina armorum rabies, quae Subalpinis in regionibus iterato efferbuit, ne ullum quidem eiusdem reliquum fecit vestigium, eiusque memoria propter temporum calamitates, scriptorumque incuriam, oblivionis tenebris obvolvitur. Illud tamen compertum habes, Clementem VII. Pont. Max., et Carolum hoc nomine III. Sabaudiae Ducem Astensium id suppliciter postulantium votis annuentes, Monasterium S. Clarae media in Urbe situm, sacris Vestalibus alio migrantibus, Fratibus de Observantia concessisse anno 1532. (2). Civium vota haud fefellerunt Franciscuales Alumni; maxima quippe sedulitate studium pietati coniungebant, frequentes conciones ad populum habebant; Confessionibus audiendis praesto erant, ceterisque Religionis operibus solertissime vacabant. Hinc est, quod cum novam Ecclesiam moliri, ac Coenobium ampliare ipsi exoptarent, gratorum Astensium subsidiis omnia perficere facile potuerint. Nam speciosum Templum D. Bernardino Senensi dicatum brevi absolutum fuit, Conventusque ita sensim ampliatus, ut plusquam terdenos Fratres capere commode posset. In utroque porro, uti Britius refert (3), magnificentia cum paupertate, et cum magnificentia Seraphici Instituti observantia mirifice collucebat. Undecim numerabantur in Ecclesia Altaria affabre constructa, ferreis et perpolitus cratibus obse-rata, ac nobiliorum Astensium familiis tumulandis assignata.

Huiusce Monasterii gloriam admodum auxit praeclarum illud Minorum decus Franciscus Panigarola, vir omnigena scientia exornatus, plurium librorum scriptor, et concionator eximius, qui eo erat dicendi robore praeditus, ut de illo perbelle scriptum sit:

Eloquii nimbis, et torto fulgure sacri

Divorum hostes Panigarola quatit.

Cuius Viri praeclara merita cum minime Claustra caperent, Sixtus V. Pont. Max. Astensi Infula eum decoravit (4), qui quemadmodum concre-

Prim. Conv. fund.

Conv. S. Bernard.

ditas sibi oves, ita quoque Franciscuales Alumnos singulari studio, parique comitate complexus est, totisque viribus adiuvit.

Astense hoc D. Bernardini Coenobium, quod ad Januensem Provinciam olim pertinebat, mox vero ad Taurinensem D. Thomae Apostoli, Observantibus sedes iucunda fuit usque ad annum 1801., quo perdolentes ab eo discedere modo vere inhumano ipsi coacti sunt ab iis, qui calamitosa illa tempestate Reipublicae summam tenebant, neque amplius eo reversi sunt. Nam perdolendum nimis est, quod adeo celebris Conventus et Ecclesiae ne vestigium quidem hodie supersit, ac ubi magnificentissima Dei domus extabat, Theatrum in praesentiarum conspicitur; — ubi Sacerdotes Immaculatam Hostiam quotidie offerebant, hodie Histriones ad profanos amores alliciunt; — ubi laudes Omnipotenti Deo persolvebantur, nunc molles cantus personant.

Conv. SS. Nom.
Jesu.

Verumtamen vetus Astensium in Franciscuales benevolentia eorum animis nequiquam excessit; anno siquidem 1827., Carolo Felici Rege pientissimo annuente, fere dimidia amplissimi SS. Nominis Jesu Monasterii pars una cum Ecclesia Observantibus D. Thomae Provinciae ultro concessa fuit, quod domicilium eisdem fuit sublatum anno 1850. Ast nava cura Adm. Rev. P. Clodovei Ichino Provinciae moderatoris, et Regia Victorii Emanuelis munificentia novum habitaculum Astae nacti sunt Observantes. Ipsis enim domus vicenos Fratres excipiendi capax, iuxtaque ipsam satis ampla et venustissima Parochialis Ecclesia S. Catharinae Virgini et Martyri dicata, ad Sacram Religionem, et Equestrem Ordinem Divorum Mauriti et Lazari pertinens tradita fuit. Fratres ibi commorantes Paroeciam administrant, in Veteranorum militum statione curam spiritualem habent, ac subsidia spiritualia fidelibus quotidie praestant.

Commorantur ibi:

Sacerdotes 11.

Laici 2.

Universim 13.

(1) Vid. — Theatrum Statuum Reg. Celsitud. Sabaudiae Ducis — part. 2, pag. 64.

(2) Ex Diplomate Clementis Septimi, quod refert Britius — pag. 64.

(3) Britius — Seraphica Monumenta — pag. 65.

(4) Ex Bull. Sixti V. dat. Romae an. 1587., instante Carolo Emanuele I. Sabaudiae Duce.

VII.

CONVENTUS

AD SANCTUM AB ASSISIO FRANCISCUM

SAVILIANI.

Quinto vix ab Alpium Cottiarum radicibus milliario, feracissima, et aequali undequaque in planitie Savilianum, venusta hercle ac populosa Pedemontanae Ditionis Civitas sedet, quam Macra et Mellea, quae torrentia verius, quam flumina dixeris, hinc inde alluunt. Huiusce Urbis primordia haud liquido constant; plura enim, quae nonnulli Scriptores in medium proferunt, fabellis, vanisque coniectationibus accensenda videntur (1). Neque etiam certo veterum testimonio suffulta fore censentur, quae de Sabellis Sabinorum populorum surculis, deque nomine ab ipsis Saviliano imposito, quidam vulgarunt (2). Probabilius fortasse dicendum videtur, a Saluviis, vel a Saliis, qui, Alpibus superatis, huc illucque per septem hanc trionalem Italiae plagam dispersi sunt, Saviliani originem fore repetendam (3). Illud etiam compertum videtur ex pervetustis quibusdam erutis monumentis (4), Savilianum, tum florente Republica, tum stante Imperio, a Romanis iam fuisse cultum. At vero praestantius huiusce Urbis incrementum, et decus ad saeculum duodecimum, eique succedentia referatur, oportet. Moenibus quippe, propugnaculis, fortilitiis, vallisque ad hostium impetus compescendos muniebatur; — pluribus familiis nobilitate praeclarissimis locupletabatur; — ac Religionis, pietatis, rei militaris, disciplinarumque omnium sedula cultrix fiebat. Hinc haud mireris, quod Carolus V. Imperator tot Regnorum peragator, atque dominator anno 1536. Saviliani exceptus, nullum aliud opulentius, alendisque militaribus copiis aptius Oppidum alibi se vidisse testatus sit (5). Haud mireris etiam, quod Emanuel Philibertus Sabaudiae Dux posteaquam, pace Hispanos inter et Gallos inita, avitae suae ditionis imperium recuperavit, loci opportunitate, soli ubertate, Civiumque cultu allectus, sibi, ac successoribus suis sedem ibi figere meditaretur. Haud mireris demum, quod cum tot bonorum affluentia Savilianum praestaret, scientiae quoque in ea mirifice florerent, quae maximum tunc potissimum nactae sunt incrementum, cum Amedeus VIII. studiorum Universitatem e Cherio illuc transferendam decrevit, Eugenio IV. Pont. Max. etiam annuente (6). At vero ne prolixius, quam pro stylo recensuimus, procedamus, quae de Saviliani Urbis decore, ornamentoque

Saviliani situs et descriptio.

Clod. Gant. descript.

Tertii Convent. aedificatio anno 1661.

sunt, ceteris describenda relinquimus, iamque ad Coenobiorum notitiam properamus.

Primi Convent.
aedificatio
ann. 1454.

Anno itaque quadringentesimo quinquagesimo quarto supra millesimum Minores de Observantia, ut plurimum Savilianensium votis satisfacerent, exiguum domicilium ad Paroeciam S. Mariae de Plebe nuncupatam, acceptum habuere. Dehinc percelebris S. Petri Monasterii Abbas Daniel Begiamus praefatae Paroeciae ad ipsius mensam spectantis curam eisdem Fratribus commisit, superaddita quoque soli ad Conventum excitandum sufficientis ultronea donatione (7). Quod tamen neque Fratribus, neque incolis adrisit. Mox Emanuel de Franca Iurisconsultus clarissimus soli iugerum extra et prope Urbis moenia notum versus, in ea suburbii parte, quae Vulgo (Malborgatto) compellabatur, Franciscalibus ultro dedit, sub finem anni 1455; qui a Nicolao V. Pont. Max. facultate impetrata, Civiumque largissime erogantium opibus amplissimum Asceterium architecturae compositae vulgo (semi-gotica) sexagenis Fratribus excipiendis idoneum, iuxtaque illud venustissimum Templum Divo Patriarchae Francisco dicatum brevi temporis spatio aedificarunt (8). Ad hoc opus quantocius absolvendum consilio, et opibus adiuverunt etiam quammaxime Consodales sub auspiciis B. M. V. de Pietate, qui Disciplinantes compellabantur, quique Sacellum quoque, ac Tumulum in eadem Minorum Ecclesia sibi comparaverant. Hinc, ut eorum pietati, aequae ac largitati gratas rependeret vices B. Angelus a Clavasio, qui Saviliani Coenobium aliquando etiam incoluit, eisdem literas dedit, quibus omnium meritorum, quae in tota Provincia per Fratres piis operibus acquirebantur, participes eosdem efficiebat (9). —

Quantum porro ex hoc Coenobio Ordini Seraphico decus accederet, ex eo facile colliges, quod gemina haec habebantur domestica gymnasia, in quibus Philosophicis, ac Theologicis disciplinis Seraphici Alumni sub optimis Lectoribus imbuebantur. Item, anno 1553. decurrente, Generalia Comitia inibi indicta, et celebrata fuere Nono kal. Iannuarii, in quibus Rev.^{mo} P. Benedicto Genesis totius Ordinis Moderatori fato correpto, qua Vicarius Generalis omnibus suffragantibus votis suffectus fuit P. Leonardus a Publiciis Pedemontanus, vir doctrina clarus, ac Sere-
nissimae Beatricis Sabaudiae Ducissae a Confessionibus (10). Cum igitur scientia, regularisque disciplina comes, hoc in Savilianensi Coenobio maxime florerent, haud mirum, quod singularis Civium in Observantes benevolentia in dies quoque percrebesceret. Haud mirum etiam, quod piissimus Bartholomaeus Galaterus Savilianensis supremis tabulis suos obstringeret haeredes, ut quoties Fratribus ibidem commorantibus necessaria deessent, vel Generalia, aut Provincialia Comitia celebrare contingeret, haud modicam eisdem eleemosynam erogarent (11). —

Verum celeberrimi huiusce Conventus, in quo tum regulari disciplina, tum optimarum scientiarum studiis Observantes mirifice praecelebant, ceterisque ad virtutis, doctrinaeque amorem incitamento erant, ne ullum quidem reliquum fecit vestigium praepotentis Martis rabies. Anno siquidem 1536. bello Carolum V. inter et Franciscum I. Gallorum Regem perstreperente, solo tenus aequatus fuit, Fratribus huc illucque dispersis, tantamque sine remedio iacturam deplorantibus. — Cum vero post nubila tempora pacis serenitas in Pedemontio iterum effulsisset, Savilianenses anno a Virgineo partu 1565. in altero ex Civitatis suburbiis ad dexterum Macrae fluvii latus novum pro Minoribus de Observantia adorsi sunt habitaculum, quod Benefactorum, ac potissimum Comitis Francisci Bernardini Ferrerii, qui Regiae Celsitudinis a Consiliis erat, munifica largitate (12), brevi absolutum fuit, ac ita quidem, ut amplitudine, venustate, locique amoenitate veteri minime concederet. Illud postea P. Franciscus Blassonius Savilianensis Sancti Didaci Provinciae iam Minister, dehinc primus huiusce Divi Thomae Apostoli Moderator adeo restauravit, exornavitque, ut nihil, quod Religiosorum utilitatem, commoditatemque decet, in eo prorsus desideraretur. Sed proh dolor! armorum tumultibus in Pedemontana Ditione iterum perstreperantibus, Gallorum Dux Roccaserviera ratus, se hostium impetus facilius propulsaturum, Coenobium, aequae ac Templum dirui iussit anno 1640. (13), vixque in praesentiarum loci memoria superest. —

Convent. destru.

Secundi Convent.
aedificatio
anno 1565.

Eiusd. Conv.
destruct.

Fratres interim, ipsa Cinerum die recurrente, in Urbem ingressi, atque a Civibus benigne excepti, hac illacque, et praecipue in aliquibus domibus ad S. Clarae Monasterium diversati sunt; donec P. Angelo Gabriele Pezzano Prov. Moderatore vigilantissimo potissimum agente, tertii Conventus fundamenta intra Urbis septa ad Marenarum portam iacta sunt die 15. iulii anno 1661, adstantibus Civitatis proceribus. Ecclesiae vero Divo ab Assisio Francisco dicatae primus lapis positus fuit die 5. iulii anno 1670, ac ingenti Fratrum solertia, Civiumque collationibus (14), tum Sacra Aedes, tum Religiosorum habitacula numeris omnibus absoluta fuere. — Ecclesiae nulla pars venustate caret; Chorus enim ad dulcissimos psallentium modulatus mirifice se praebet; Ara princeps opere marmorato constructa maiestatem redolet; Sacella, quae sex numerantur, affabre constructa, ornatibusque decorata venustatem, et elegantiam praeseferrunt; in ipsis quippe neque structurae decor, neque ornatuum varietas, neque demum Iconum excellentia desideratur. Quibus omnibus accedunt etiam picturae, quae tota Ecclesiae absis mira varietate decoratur. Sacram hanc Aedem porro, quae anno 1684. ritu solemniter iam fuerat dicata, saeculo elapso restauratam denuo consecravit die 25. iunii anno 1743. Fossanensis Antistes (15). —

Tertii Convent.
aedificatio
anno 1661.

Ad Coenobium vero quod attinet, licet uno dumtaxat, sed eleganti, atque picturis in lunulis exornato Claustro constet, percommodum tamen vigintiquinque saltem Fratribus domicilium praebet. Satis amplo quoque donantur Fratres animum relaxandi gratia viridario, quod Carolus Albertinus de Bertinis eisdem concessit centum scutatorum aureorum pretio ab Ill.^{mo} Comite Rufino Longis anno 1738. persoluto (16). Hic autem Conventus, qui anno 1802. prae temporum calamitatibus Fratribus desertus evasis, ad prophanosque usus redactus fuit, primis suis habitatoribus restituebatur anno 1816. — Vix namque Seraphica proles in Pedemontana Ditione iterum sobolescere coepit, Savilianenses Municipales avorum in Franciscas benevolentiae minime degeneres Regem Victorium Emanuelem enixe precati sunt, quatenus Minorum de Observantia Familiam in eorum Urbe restituere dignaretur. Postulatis cessit Pientissimus Princeps (17), ac Observantes renascentis Divi Thomae Provinciae, Civibus prae novo gaudio plaudentibus, et gratulantibus, vetus eorum habitaculum auspicabantur anno 1817. Ibi nunc commorantur:

Sacerdotes	13.
Laici	5.
Universim	18.

(1) Vid. Novellis, *Storia di Savigliano* pag. 2.

(2) Novellis, — Opere citat.

(3) Augustinus ab Ecclesia. — Mss. fol. 56.

(4) Vid. — quae referuntur a praecit. Novellis, pag. 8.

(5) Quinque hebdomadibus Saviliani diversatus est Imperator. Vid. Novellis, et Aug. ab Ecclesia — Oper. citat.

(6) Decretum Amedei datum fuit Tononis die 13. augusti 1434. — Bulla vero Summ. Pontif. data fuit Romae die 9. febr. an. 1434. Haec asservantur in Archiv. Civ. ac nuper vulgata sunt a Novellis — Oper. cit. — docum. N.º XVII. ac N.º XVIII. — Vid. etiam Claris. Vallauri, — *Storia delle Università del Piemonte*, Vol. I, pag. 69, 70.

(7) Praefatus Abbas commisit etiam P. Antonio de Mugnano Aracoelitani Conventus Guardiano, ut eius nomine Paroeciae curam Summi Pontificis beneplacito resignaret, eo fine, ut iuxta eandem Paroeciam Coenobium excitaretur pro Fratribus Observantibus, qui eiusdem Paroeciae curam haberent. Vix tamen Conventus alio aedificatus fuit, eidem Abbati Paroeciae curam Fratres resignarunt. —

(8) Britius — Monumenta Seraphica etc. pag. 98. —

(9) Huiusmodi literae datae sunt ex Conventu S. Mariae Angelorum Taurini die 8. febr. anno 1451; et adhuc asservantur apud Ill.^m D. Casimirum Turletti Insig. Savil. Collegiatae Canonicum. —

(10) Ex Archiv. Prov.

(11) Ex Inst. autent.

(12) Clarissimo huic Viro in grati animi sensum opus dicarunt Fratres Franciscus a Saviliano, et Franciscus a Crescentino, anno 1619. typis vulgatum. — *Discorsi sopra la plenaria Indulgenza della Porziuncula, e delle Stimmate del P. S. Francesco.* —

(13) Vid. Novel. Oper. citat.

(14) Inter praecipuos Benefactores recenseatur oportet Comes Alexander Ferrerius, qui sicuti eiusdem Parens secundi, ita et ipse tertii Conventus insignis Benefactor fuit.

(15) In Ecclesiae superliminari haec leguntur:

IOANNES · BAPTISTA · PENZA
A · MONTEREGALI
EPISCOPVS FOSSANENSIS
TEMPLVM · HOC
SANCTO FRANCISCO IAM SACRVM
CONSECRABAT
SEPTIMO · KALENDAS · IVLII · ANNO · MDCCXLIII.

(16) Ex Archiv. Convent. --

(17) Reg. Decret. dat. fuit Taurini, die 24. iunii anno 1816.



VIII.

CONVENTUS

AD S. MARIAM DE BETHLEHEM

HAUD PROCUL A VERCELLARUM URBE

SITUS.

Vercellarum
descriptio.

Ad dexteram Sessitis fluvii oram amoenissima in planitie Vercellarum Urbs praeclarissima, ac Orbi universo notissima sita est. Eiusdem primordia si quaeras, longe vetustiora sunt, quam ut certo deprehendi possint. De ipsa vel prisci Scriptores Polybius, Livius, Strabo, Cicero, Ptolomaeus, aliique plures verba faciunt. Plinius autem Vercellas Lybicorum caput compellat, ortumque habuisse tradit a Saliis (1), qui, praeruptis Alpibus superatis, hasce peramoenas Septentrionalis Italiae oras occuparunt. Nonnulli Scriptores porro hanc Urbem a Belloveso adeo dilatatam fuisse referunt, ut Cervium et Sessitem fluvios complecteretur (2). — Martialis vero Vercellas Apollineas vocitavit; in Epigrammate enim ad Domitium ait:

*Aemiliae gentes, et Apollineas Vercellas
Et Phaethontei, qui petis arva Padi.*

Item populosa, ac pervetusta haec urbs, Caio Claudio, et Marco Sempronio Consulibus, Romanorum colonia instituta fuit anno ab Urbe condita 514; mox Pompeio Strabone Consule, Romanae Civitatis privilegio decorata; dehinc, Tiberio imperante, ad Municipii dignitatem evecta. — Neque mireris, si Romanis rerum summa potentibus, Vercellarum Urbs adeo floruit; ipsa enim validas nimis auxiliares copias belli Punici temporibus praesertim Romanis dedit, et quoties ipsi bellum vel propulsarent, vel inferrent, Vercellas prae omnium frugum affluentia veluti copiosum horreum habebant, ubi copias suas alere, et reficere commode poterant. Hinc est quod Tacitus inter nobilissima, et fortissima Transpadanae Regionis Municipia Vercellas adnumeravit, et Divus Hieronymus Urbem olim potentissimam dixit (3).

Non eadem tamen semper fuit Vercellarum potentia, neque idem splendor. Multiplices quippe temporum iniurias, excidia, et iteratas clades, populosa, et amplissima haec Urbs passa est; — Barbarorum saevitiam, ac voracitatem, Vitige potissimum, et Alarico Ducibus, Ligu-

riam et Insubriam pessumdantibus, sensit; modo Longobardorum, modo Caesarum utcumque in Italia imperantium iugo collum subegit. Quod si tot inter temporum, rerumque vicissitudines semel et iterum quidquam libertatis Vercellarum Civitas nacta, suis legibus usa est, intestina dissidia tamen saepe saepius eam exagitarunt, tunc maxime cum Optimates Titioni et Advocati, quorum alteri Ghibellinis, alteri vero Guelphis accesserant, inter se, variante semper hinc inde fortuna, de Dominatu certarent. Dehinc Vercellarum Urbs Mediolanensibus Ducibus accessit, qui fortissima Acropoli, validissimoque Castro eam muniere. Tandem nuptiis inter Philippum Mediolanensem Vicecomitem et Mariam Amedei VIII. Sabaudiae Ducis filiam anno 1428. die 3. octobris celebratis, Civitas Vercellensis unaque cum eiusdem Comitatu ex ultronea eiusdem Philippi donatione ad Regios Sabaudiae Principes transiit (4), atque ex tunc haud parum primaevae suae felicitatis, atque splendoris recuperavit. Nam Sabaudorum Principum auspiciis et munificentia quidquid artium, scientiarum magnificentiae, atque decoris pro temporum varietate haberi licebat, in ea minime desiderabatur, quemadmodum eiusdem Annales pervolventibus satis compertum est.

Ast vero Vercellarum Urbs, vetustate, amplitudine, robore, aliisque ornamentis olim satis clara, Catholica Fide tamen, Religionisque monumentis longe clarior est dicenda. Ipsa enim prima salvificae Fidei rudimenta ab Apostolorum Principe, atque ab Apostolicis Viris feliciter hausisse merito gloriatur. Divum namque Petrum cum Romanorum Caesarum saevitiam, atque tyrannidem declinaturus in Gallias iter aggredetur, Vercellas venisse, ibique Christum praedicasse, eiusque hortatu sacrum Oratoriolum excitatum etiam fuisse, ferunt (5). Cum porro idem Apostolus, rebus parumper immutatis, Romam repetiisset, ac Sabinianum, qui unus erat ex septuaginta duobus Christi discipulis, ad Senonenses Galliae populos sui ipsius loco misisset, primos Vercellenses fideles plurimum eidem commendatos voluit (6). De ipso quoque Sabiniano, eiusque sociis, Potentiano, Altino, et Martiali in pervetustis manuscriptis, quae in Ecclesiae Vercell. Archivio asservantur, haec leguntur:—*Vercellis Fidei Christianae quosdam viros cum paucis mulieribus in itineris cursu baptizaverunt, et documentis spiritualibus pleniter instruxerunt.*—Eiusdem etiam Sabiniani hortatu Ecclesia Vercellis erecta, ac D. Petro dum adhuc in vivis ageret, dicata fuit, quae a S. Petro (ferula) postea nuncupabatur (7).

Quamquam vero ab Apostolorum aevo Catholicae Fidei iubar Vercellensibus affulserit, ipsi tamen, qua primum Praesulem, et Pastorem, Magnum Eusebium a Julio primo Pont. Max. Vercell. Ecclesiae praefectum venerantur, ab eoque suos Episcopos numerant (8). Qua gloria

Fides Vercell.
praedicat.

porro, quove sanctitatis fulgore nullo non tempore inclaruerit Vercell. Ecclesia haud facile dixeris. Heic meminisse satis, Vercellarum Urbem Fidei integritatem neutiquam amisisse (9); singularibus privilegiis a Romanis Pontificibus non semel decoratam; — Generalium Comitiorum sedem (10); Purpuratorum, et Episcoporum plurium, nec non praeclarissimorum Heroum foecundam parentem fuisse. Enimvero perplures, quos vel Infulatos Pastores, vel oves fideles Vercellensis Civitas aliquando protulit, nunc inter Coelites cum Christo regnantes veluti Patronos veneratur.

S. Franciscus
Vercell. venit.

Haec itaque Vercellensis Civitas, quemadmodum ab Apostolorum Principe per fidem Christo regenerata, ita per salutare poenitentiae lavacrum, a Seraphicis Viris saepe saepius reformata fuit. In ea siquidem praeter Bonaventuram, Bernardinum, et Patavinum Antonium, qui ingenti cum animarum lucro sacras ad populum habuere conciones, vel ipse Heros ab Assisio Franciscus, an. 1214. decurrente, commoratus est, qui ab Episcopo Ugone Sessa comiter exceptus, illo quo aestuabat Seraphici amoris igne Dei verbum praedicavit, ac poenitentiam evangelizavit, religiosissimo Clero, primoribus Civibus, universoque populo demirantibus, ac prorsus divinam in eius verbis efficaciam sentientibus. — Hinc unum illico omnium votum fuit, ut Dei viro, eiusque sociis locus aliquis pro eorumdem in Urbe incolatu designaretur (11). — Antistite piissimo itaque, eiusque Clero, nec non Urbis proceribus enixe flagitantibus, Ecclesiam D. Matthaeo dicatam, extra moenia Meridiem versus sitam pro se, suisque filiis acceptam habuit Seraphicus Patriarcha, ibique communi Civium largitate Coenobiolum brevi excitatum fuit (12). — Quamdiu primum hocce domicilium incoluerint Franciscuales Alumni, haud satis aperte liquet. Atqui clariora edissere praestat: aderat non procul a Vercellarum moenibus Ecclesiola a S. Maria nuncupata, iuxtaque illam visebatur Eremitorium, ubi nobilis quidam Vercellensis Ianonii nomine e Terrae Sanctae peregrinatione in Patriam redux, Nobilitatis insignibus in abiectissimam vestem commutatis, asperam quidem prae assidua carnis maceratione, sed in rerum coelestium contemplatione suavem duxerat vitam. Ipsum porro e vivis ereptum imitata est venustissima quaedam puella Ugolina de Casamis Vercellensis, quae incestuosam parentis libidinem declinata, simulato sexu, et sub Ugonis nomine septem et quadraginta annis in Eremitorio a Ianonio olim inhabitato delituit, atque an. 1300. cum virginitatis lilio ad coelestem Sponsum evolavit, maximis etiam, crebrisque miraculis illustrata. Interea ne locus ille tot praeclaris Ianonii, et Ugolinae virtutibus illustratus in rudus prae vetustate penitus abiret, Episcopus Bethlehemiticus, qui, absente Antistite Ioanne de Fliscis, qui ab Urbano VI. ad Purpurae fastigium evector Romam perrexerat, Vercellensem Ec-

Convent. fundat.

clesiam vicaria potestate regebat, in meliorem formam ad an. Christi 1579. redegit, et sui tituli denominatione in eum transmissa, Sancta Maria de Bethlehem vocitari voluit. —

Verum haec Aedes licet restaurata, habitatore tamen caruit, usque dum Vercellenses Cives Seraphici Herois Bernardini Senensis praedicatione permoti (15), eam Observantibus concessere, facultate a Nicolao V. Pont. Max. per Guillelmum Vercell. Episcopum impetrata (14). Fratres interim, ultroneis Civium eleemosynis congestis, novam et ampliorem Ecclesiam, veteri titulo retento, adorsi sunt, iuxtaque illam satis amplum Asceterium excitarunt; opus maxime promovente Fr. Ludovico a Valle-Camonica Provinciae Mediolanensis Vicario. Anno postea 1496. Blanca Maria Sabaudiae Ducissa, munificentia equidem regia, Coenobium admodum ampliavit, et quinquagenos Religiosos commode excipiendi capax reddidit, ut aucto Fratrum numero et Seraphica Religio plures filios, et messis Evangelica plures haberet operarios. Nec perperam, nam in Vercell. Coenobio Regularis disciplina, scientiaque comes diu perbelle floruit, multique insignes ex eodem prodire viri, qui maximo tum Catholicae Ecclesiae, tum Seraphico Ordini decori fuere (15). Hinc est, quod singulari studio Vercellenses incolae Observantes omni tempore complexi sunt. Hinc est etiam, quod vix in Divorum album relatus fuit Bernardinus Senensis, qui anno 1448. uberrimos animarum fructus suis concionibus Vercellis collegerat, Ecclesiam eiusdem nomini dicatam e fundamentis iidem Vercellenses excitarunt, quam Bonomius Episcopus Consodalibus Seraphicum habitum gestantibus postea dedit. Sacra in hac Aede visebantur olim venustissimae effigies a Bernardino Lanino Vercellensi depictae, quarum vix hodie vestigium reperis. —

Novus Convent.
erigitur.

Ad Bethlehemicam Minorum Ecclesiam porro quod spectat, reaedificata ipsa fuit an. 1774. opibus potissimum, et munificentia pientissimi Abbatis Gianolio Dezanae Praepositi, et inter alia, queis ipsa decoratur, ornamenta, tria quoque asservat Divorum corpora, Favonini Confessoris nimirum, Antonii a Cremona, eiusdem quondam Coenobii Alumni, et Ugolinae Virginis. —

Percelebris hic Vercellarum Conventus, qui ad Mediolanensem Ordinis Provinciam primitus spectabat, huic Divi Thomae Apostoli accessit anno 1622. Ibi usque ad an. 1802. Vercellensis Custodiae Tyronum sedes fuit, in qua iuvenes mundi illecebras exosi Franciscanae militiae initiabantur. Post religiosorum dispersionem vero Coenobium, cunctaque eidem adhaerentia aere publico redemit Vercellense Municipium, et an. 1829. Carolo Felici Rege annuente, Observantibus Divi Thomae Provinciae denuo restituit, pretio tamen 6460. libellarum persoluto. Hinc die 6. iunii an. 1830., primoribus Ecclesiastici, Civilisque Ordinis Civibus comitantibus,

Observantes
denuo Vercell.
recipiuntur.

finitimis incolis gratulantibus, veteres eorum Lares ingressi sunt Observantes. Ast cum magna ex parte Conventus prae vetustate, iniuriaque temporum ruinam iam iam minaretur, ingenti Fratrum ibi degentium, et potissimum R. P. Honorii Zorgno Tridinensis eximiae pietatis viri solertia, Civiumque opibus restauratus, dormitorio, pluribusque cellulis auctus, in eamque commodiorem formam, quae hodie visitur, redactus fuit. Inibi autem commorantur :

Sacerdotes	9.
Laici	4.
—	
Universim	13.

(1) Plin. Lib. 3. Cap. 17. — Durandi — *Dell'antica condizione del Vercellese Art. 1.º* —

(2) Claud. Ptol. — Geograf., Lib. 3. Cap. 1.º —

(3) In Epist. 39. —

(4) Huius donationis tabulae datae sunt die 2. Decemb. 1427. —

(5) Vid. — Cusan. — *Discorsi istoriali, ecc. Cap. 2.* — Item Corbellin. — *Histor. Vercell.* —

(6) Cusan. — *Oper. cit.* —

(7) Huiusmodi Ecclesia prae temporum iniuria iam fatiscens reaedificata fuit an. 1570. a Card. Ferrerio Vercell. Episcopo; sed postea bellorum tumultu in rudus abiit, nihilque hodie superest, nisi Oratoriolum nobilissimae Familiae Mella aedificio adhaerens, quod ab eadem Familia extractum fuit eo loci, ubi vetus templum extabat. —

(8) Vid. — Ferrero. — *Cat. Episcop. Vercell.* —

(9) Licet enim Arii blasphema Vercellis aliquando serpsit, praevalere tamen haud potuit, ipsiusque tentamina magis magisque Civium corda in Fide solidavere. —

(10) Sub Leone IX. Pont. Max. Vercellis Concilium habitum fuit contra Berengarium an. 1050. — *Ex Tabul. Ecll. Vercell.* —

(11) Vid. — Wadding. Tom. 1.º, pag. 222 — 223.

(12) Id. Wadd. eodem loco. —

(13) Divus Bernardinus Vercellis Dei verbum praedicavit ad ann. Christi 1418. —

(14) Pontif. diploma datum fuit Octavo Kal. feb. MCCCCLIII. —

(15) Inter alios Viros praeclaros haec meminisse placet P. F. Ludovicum a Cruce ex nobili genere Vercellis ortum, scientia, pietateque admodum illustrem; Beatum Candidum Ranzum item Vercellensem; et Beatum Antonium a Cremona, qui ibidem sepultus fuit.

IX.

CONVENTUS

S. MARIE GRATIARUM

VARALLI IN DIOECESI NOVARIENSI.

Nemorosos inter montes e radicibus Alpium Penninarum emergentes ubi latius, ubi angustius pulcherrima panditur vallis, quae ab amne Sessite, qui limpido, et claro suo latice eandem alluit atque foecundat, nuncupatur. In superiori eiusdem vallis parte ad laevam fluvii oram insigne Varalli oppidum occurrit, quod nomine, ac iure Civitatis hodie merito decoratur. Quaenam prima ipsius origo fuerit, ex Historiographis haud satis liquido patet. Alii namque a Theutonibus, aut Cimbris, qui a Caio Mario, et Q. Catulo in agro Novariensi partim caesi, partim in fugam acti, in vicinosque montes depulsi sunt (1); alii vero a Gallis, qui semel atque iterum Alpium iuga superarunt, hanc regionem primum inhabitatam fuisse volunt (2). — Tota Sessitis Vallis, cuius Varallum caput est, suis legibus in Reipublicae morem usa est ad annum usque 1577: dehinc Mediolanensi Vicecomiti Galeatio ultro se dedit (3), ac Mediolanensibus Ducibus paruit usque ad annum 1499; — mox Ludovico XII. Galliarum Regi, qui Mediolanensi Ducatu potitus fuerat, nec non Francisco I. eiusdem in Regno successori, posthac Carolo V. Imperatori; subinde Hispaniarum Regibus; postea Iosepho I. Imperatori; tandem Regiis Sabaudiae Principibus, Victorio Amedeo II. Regni solium tenente, accessit.

Ast ceteris missis, quae ad Varalli, totiusque Sessitis Vallis variantem fortunam spectant, de sacris Aedibus, Religionisque monumentis, quae Varalli nomen quaquaversus resonat, ac praedicatur, heic dicere praestat. — Prae omnibus praecellit quammaxime sacer ille Mons, qui eidem Oppido imminet, quique a nava Minorum de Observantia cura, atque pietate suam exorsus est celebritatem. Enimvero B. Bernardinus ex nobilissima Gente de Caymis Mediolani genitus, Ordinisque Seraphici alumnus, vir doctrina pietateque apprime clarus, cum e Terra Sancta, ubi semel et iterum Montis Sion Conventui praefectus fuerat, propriam Mediolanensem Observantium Provinciam repetisset, quo facilius fideles ad Christi patientis historiam pia meditatione recolendam excitaret, de veluti nova Hierusalem aedificanda, in qua humanae Redemptionis mysteria quasi oculis corporeis subiicerentur, cogitare coepit. Quod Beato

Varalli situs.

Sacri Montis origo.

Viro summopere in votis erat, feliciter cessit: Montem enim ad Varalli Oppidum nactus, qui Hierosolymitani illius, in quo humanae Reparationis sacrificium ab Unigenito Filio Dei consummatum fuit, speciem quamdam praesefere videbatur, eundem a Varallensibus dono sibi dari petiit, quatenus quod opus moliri avebat, illud quantocius aggredi posset.

Convent.
fund.

Voti compos factus Vir piissimus, et Apostolica Innocentii VIII. facultate suffultus (4), operi, quod mente conceperat, solertem manum admovit, ac primorum Varallensium ope (5), piorumque largitate SS. Sepulchri Sacellum, Coenobiolum eidem adnexum, aliasque Aediculas, seu Oratoria construenda curavit. — Varallenses interim, ut Beato Viro tanti operis Fundatori gratas rependerent vices, ad imam montis partem, et ad laevam Mastalonis fluvii ripam Conventum et Ecclesiam sub titulo Sanctae Mariae Gratiarum pro Observantibus adorsi sunt. Quae omnia vix absoluta publico, legitimoque Instrumento Fratibus de Observantia Mediolanensis Provinciae Varallenses Municipales ultro concessere (6), annuente pro sua benignitate Apostolica Sede. — Hinc Fratres munifica Oppidanorum largitate duplex, inferum scilicet, ac superum auspicati sunt domicilium.

Quot largitiones porro, easque mensura minime spernendas erogaverint nedum Varallenses, totiusque Siccidae Vallis incolae, sed etiam convenae ad novam illam Hierusalem, quam B. Bernardinus in montis iugo inchoarat, numeris omnibus absolvendam, haud facile dici potest. Ex ipsis enim copiosis piorum collationibus, tum praefatus Bernardinus, tum alii Minoritae, ac praecipue B. Candidus Ranzus Vercellensis plures alias sensim aedificarunt in ipso monte sacras Aediculas, vel Dominicae Passionis, vel Divinae Parentis mysteria ad vivum repraesentantes (7). Subinde nova in dies excitata sunt Sacella, et quadragintaquinque hodie iam numerantur, quae eam elegantiam, atque pulchritudinem praeseferunt, ut magnificentiam, amoenioresque artes inter se certare haud immerito diceres. Nam sive statuas innumeras opere plastico fabrefactas, queis humanae salutis mysteria ob oculos ponuntur, inspicias, sive sacras imagines super Sacellorum parietibus udo colore depictas consideres, nihil prorsus a Phidia, nihilque ab Apelle alienum reperies; ars quippe naturam imitata adeo solerter artificis manum abscondit, ut in omnibus, et singulis admiratio concilietur visentibus (8). Haud mirum igitur, si Varalli hisce praeclaris monumentis locupletati nomen quaquaversum praedicatur. — Haud mirum, si cuiusvis conditionis fideles, viri maximis quoque dignitatibus fulgentes, Infula, Ostroque insigniti Pontifices, nec non magni Principes Varallum peregrinati sunt, novam haec Hierusalem visuri (9); — haud mirum demum, si primores artifices ad hoc veluti amoeniarum artium Templum undique confluunt, ingenii aciem cituri.

Magni porro illius Templi Deiparae sideribus receptae dicati, quod in montis iugo perbelle extollitur, quodve omnes illuc peregrinantes obstupefacti demirantur, consilio et opera Divi Caroli Borromaei, qui sibi Deoque vacandi studio Varalli Sanctuarium invisere aliquando consueverat, angularem lapidem posuit die 9. Iunii an. 1614. Illustriss. Georgius de Addua Eques Hierosolymitanus, ac brevi absolutum fuit iuxta Typum a Clarissimo Peregrino Tibaldi Bononiensi delineatum.

Maioris Templi
fundat.

Ad speciosum hoc Virginis Templum numeris omnibus exornandum nihil aliud desiderandum superest, nisi ut quantocius Pronaum absolvatur a Clariss. Aloysio Cagnola Mediolanensi delineatum, cuius columnarum stylobatae vix hodie visuntur.

Huiusce igitur celeberrimi Varallensis Sanctuarii a B. Bernardino de Caymis fundati, et a Ven. Candido Ranzo Vercellensi, aliisque Minoritis aucti custodiam, nec non ad montis radices excitatum Coenobium tenere Observantes Mediolanensis Provinciae ad annum usque 1603. Mox in eorum locum ex diplomate Clementis XIII. Pont. Max. Reformati suffecti sunt (10); qui medium et integrum post saeculum iuges inter ipsos et Varallenses lites declinandi causa Sacri Montis custodiam deseruerunt (11), infero tamen Coenobio retento, quod pacifice incoluerunt usque ad annum 1810, quo imperiali Napoleonis decreto, extorres facti sunt. — Ast vero anno 1817. Varallensi Municipio flagitante, Victorio Emanuele Rege piissimo annuente, et incolis omnibus gratulantibus, Observantes Divi Thomae Provinciae veterem eorum sedem auspicabantur die 10. augusti.

Reformati
Observan. succed.

Operae pretium est demum, nonnulla addere de venustissima B. V. Gratiarum Ecclesia, cuius religioso cultui hodieque sedulo prospiciunt Observantes. Sacra haec Aedes ex ultroneis Varallensium largitionibus numeris omnibus absoluta fuit anno a Dominica Incarnatione 1493. Quam postea ritu solemniter consecravit die quinta septembris anno 1501. Rev. ^{mus} D. Iulius Golardus Salodiensis Episcopus, et Novariensis Antistitis a suffragiis, qui aliquot etiam insignibus sanctorum reliquiis eam decoravit (12). Mox anno 1667. Religiosorum cura, piorumque eleemosynis Chorus restauratus, et ampliatus fuit. Dehinc, Ara principe prae vetustate iam collabente, novam ex lignis perpolitibus fabrefactam, speciosis columnis, et inauratis anaglyphis exornatam construendam curavit anno 1772. Ad. R. P. Philippus a Rimella ex Reformatorum familia, concionator eximius. In ea venustissimum Deiparae sine labe conceptae Simulacrum iugi fidelium venerationi patet. Maiori autem altari minime concedunt alia, quae septem numerantur, ex ligno quoque affabre elaborato constructa, perpolitibus anaglyphis, speciosissimis Iconibus, sacrisque lipsanibus locupletata. —

Observ. iterum
recip. Varall.

Verum inter alia bene multa, quae hanc Minorum Ecclesiam decorant,

ornamenta praeclara, excellunt quammaxime innumerae illae effigies, quae a Cl. Gaudentio Ferrari a Valle-Utiae tum in Sacello S. Margaritae Cortonensi dicato, tum praecipue magno in pariete ante Sancta Sanctorum udo colore depictae sunt; ibi enim in una et viginti tabulis divisis Divini Redemptoris Nativitatem, vitam et mortem ad vivum expressit (13). — Absolutissimum hocce opus, quod artis prodigium haud immerito dixeris, quodve nihil ab Urbinatensis Pictorum facile Principis penicillo alienum praesefert, in aevum celebrabitur, ac etiam perbelle ostendit, quam alte in artificis corde insideret Religio, dum in tabulis praecipua ipsius mysteria adeo mirifice penicillo expressit. Hinc haud mirandum, si quaedam Synodus Novariensis Gaudentium *eximie pium* compellavit (14). —

Ast de Varallensi Minorum domicilio prolixius, quam pro stylo recensuimus, iam diximus. Interim Opifera Divina Parens, cuius nomini illud dicatur, diu sospitet, atque fortunet Franciscuales Alumnos inibi commorantes: sunt enim

Sacerdotes	8.
Laici	2.
Universim	10.

(1) Videsis — *Quadro della Valsesia del Canonico Gentile*. pag. 48.

(2) Guidus Ferrari: *Dissertatio de praelii loco inter Marium et Cimbro in agro Novariensi*. —

(3) Ex diplomat. Mediol. Ducis dat. sub die 20. martii 1387. —

(4) Pont. diploma datum fuit die 21. decembris anno 1486. —

(5) Prae aliis, qui B. Bernardino suppetiati sunt ad S. Montis foundationem memoratu dignus est Milanus Scarogninus, qui primum Eremitorium Ss. Sepulchri construxit, in cuius superliminari haec leguntur:

MILANVS · SCAROGNINVS

HOC · SEPVLCRM · CVM · FABRICA · CONTIGVA

CHRISTO · POSVIT

ANNO MCCCCXCI.

FRATER · BERNARDINVS · CAYMVS · DE · MEDIOLANO

ORDINIS · MINORVM · DE · OBSERVANTIA

SACRA · HVIVS · MONTIS · EXCOGITAVIT · LOCA

VT · HIC · HIERVSALEM · VIDEAT · QVI · PEREGRINARI · NEQVIT.

(6) Ex donat. Instrum. quod in Archiv. Conv. asservatur. —

(7) Celebre hoc Sanctuarium, quod Observantes adorsi, et eximia solertia persecuti sunt, in praesentiarum ultimam pene artificis manum expertum est, atque in ipso satis ampli ostii, per quod ad Sacrum Montem aditus patet, superliminari hoc distichon legitur:

Haec nova Hierusalem, vitam summosque labores,

Atque Redemptoris omnia gesta refert.

B. Bernardinus vero tanti operis fundator, meritis clarus, ad superos evolavit die 9. febr. 1499. cuius corpus in Ecclesia Minorum ad Montis radices requiescit, caput vero supra Montem ad Ss. Sepulchri Sacellum in humili loculamento reconditum visitur cum hac inscriptione:

CAPVT · BEATI · PATRIS
FRATRIS · BERNARDINI · DE
CAYMIS · MEDIOLANENSIS
ORDINIS · MINORVM · REGVLARIS · OBSERVANTIE
HVIVS · SACRI · MONTIS · FVNDATORIS
INCLITI.

(8) Inter alios artifices, qui manum, ingeniumque impenderunt ad Sacrum Varalli Montem perficiendum maxime praestant: — Gaudentius Ferrari a Valle-Utiae — Iulius Caesar Luini a Valle Siccida — Bernardinus Lavini Vercellensis — Peregrinus Tibaldi Bononiensis — Ioannes Miel ab Antuerpia — Ioan. Baptista Tabacchetti a Valle Siccida — Aliique plures. —

(9) Vid. — *Storia e guida al S. Monte di Varallo.* —

(10) Reformati Sacrum Varalli Montem, ac Coenobium nacti sunt die 13. decemb. anno 1603. —

(11) Vid. Gonzaga — *De Origine Seraphicae Relig.* pag. 355.

(12) Wading. Tom. 15. pag. 50. XLV.

(13) Ad huius magnificentissimi Operis latera haec verba leguntur:

1513.
GAUDENTIVS · FERRARIVS
VALLIS · SICCIDÆ
PINXIT.

HOC
OPVS · IMPENSIS
POPVLI · VARALLI
AD · H.™ · GLORIAM.

(14) Vid. — *Storia Pittorica dell'Italia per Luigi Lanzi, vol. 9. pag. 30.*

CONVENTUS

BEATAE MARIAE VIRGINIS SIDERIBUS RECEPTAE

IN MONTE-CREA DIOECESI CASALENSI

SITUS.

Cretensis
Sanct. origo.

Quo tempore Arii blasphema Caesarea Costantii potentia, impietateque maxime fretum quaquaversum serpebat, Christique Sponsam Ecclesiam maculae nesciam foedare conabatur, praeclarus ille Orthodoxae Fidei assertor, et propugnator acerrimus Eusebius Vercellensis Ecclesiae Praesul, procul ab ovibus suis relegatus, Scythopolim missus fuit. Ibi furentem Arianorum rabiem sex annorum spatio expertus vir Dei, ab exilio tandem revocatur, et ad perdilectum gregem suum reversurus, gemina Deiparae Virginis Simulacra a Sancto Luca, prout perennis traditio docet, secum detulit. Horum alterum in Oropensi montem, alterum vero ad Castrum Credonentium supra editissimi Montis-ferrati collis iugum, vulgo — Crea — collocatum voluit, anno salutis trecentesimo septuagesimo. Ibi ardenti studio sibi, Deoque vacandi flagrans tribus mensibus commoratus est Beatus Antistes, ac in Divinae Parentis honorem Oratorium excitavit (1). Ibi etiam, uti quidam scriptores referunt, sua ipsius manu Sacra Evangelia scripsit, quae totius postea vitae suae tempore cari sui ipsius comites fuere, quaeque veluti monumentum pretiosissimum in Vercellensi Eusebiano Archivio hodieque asservantur (2). Ex eo tempore igitur tum singulari fidelium erga Deiparam Virginem pietate, tum etiam crebris eiusdem Virginis beneficiis, adeo clarescere coepit Cretensis mons, ut brevi ibi Templum iuxta ac Asceterium extracta fuerint, atque Regularibus Congregationis Fesulanae Canonicis tradita, quatenus ipsi iugi litatione Coelitum Reginae propitiarent, ac devotorum illuc undique confluentium a subsidiis spiritualibus forent. Nam vix dici potest, quo Religionis studio, quave devotione ad sacrum illud Virginis Delubrum catervatim confluerent Christifideles, vel Divinae Sospitatrix opem imploraturi, vel debitas pro donis acceptis grates reddituri. — Hinc est, quod hoc Opiferae Virginis Templum spiritualibus non semel condecoratum fuit privilegiis (3); — hinc est etiam, quod, saeculo undecimo ineunte, tum gratorum fidelium largitionibus, tum maxime Toparcharum Montis-ferrati, vel uti refert Fructuariensis Monasterii Chronologus, Arduini Regis munificentia et opibus,

quo Virgineum Simulacrum decentius asservaretur, Templum et Monasterium prae vetustate iam obsoleta reaedificata, in elegantiore formam redacta, pluribusque redditibus aucta fuere; — hinc est demum, quod processu temporis Principum munificentia, Optimatum et Nobilium opibus, publico Civitatum vel Oppidorum aere, circa et supra montem, qui Ecclesiae, Conventuique imminet, quatuor et vicena Sacella extracta fuere, in quibus egregia artificum manus sive statuis, sive depictis imaginibus Religionis mysteria ad vivum expressit (4). — Sub initium porro an. 1482. Bernardini Tebaldeschi Patritii Romani, ac primi Casalensis Antistitis assensu, praefati S. Augustini Monachi bellorum turbine percussi Cretense Monasterium deseruere, in eorumque locum Fratres Servorum B. M. Virginis ab eodem Episcopo suffecti sunt (5), quibus tamen anno 1522. Lateranenses Canonici succedere, ibique periucundum habuere domicilium ad an. usque 1802. —

Interea Religiosis Ordinibus a Napoleone deletis, venustissimum Cretense Virginis Sanctuarium Ministris, et habitatoribus carens, squallere coepit; imo vero auri sacra fames illud pretiosiori quaque supellectile prius expilatum venui exposuit, et magna Monasterii pars diruta fuit. Sed neque satis; nam plura etiam ex venustissimis Sacellis, quae huc illucque supra montis iugum fidelium pietas erexerat, prae temporum calamitate, morumque licentia in rudus, vel pessum abiire. Pro nefas! — Verum an. 1820. Rev.^{mus} D. Franciscus Alciati, Casalensis Antistes, ad cuius Episcopalem mensam illud Sanctuarium pertinebat, munifica liberalitate, proprietate tamen sibi, ac successoribus suis reservata, Observantibus D. Thomae Provinciae concessit, qui die 29. iunii eiusdem anni novam hanc sedem solemniter auspicabantur (6). —

Sacrum Montis Cretae Templum satis amplum est, neque venustate caret. Triplici enim abside, vastoque Pronao an. 1612. excitato, et an. 1642. restaurato constat. Praestant potissimum Sancta Sanctorum versicoloriis lapidibus affabre strata, marmoreisque columellis circumsepta. — Altare maius porro ex pretiosis, et perpolitissimis marmoribus construendum curavit an. 1792. Abbas Vincentius Barberis (7). Venustissima quoque, et amplissima eidem Altari imminens semiorbiculata tela visitur ab Alberto Duro depicta, in qua Coelitum Regina Sideribus recepta perbelle repraesentatur. Sub huiusmodi tela extat etiam pretiosa B. V. Tabula, quam optimus Macrini penicillus an. 1403. depinxit. — Retrorsum porro ab Ara principe quatuor habentur Sacella ferreis clathris obserata, quorum duo potissimum praecellunt. Alterum nimirum S. Margaritae Virgini et Martyri dicatum, quod Margarita Amedei III. Sabaudiae Comitis Filia, et Joannis VII. Montis-ferrati Toparchae Uxor sub finem saeculi decimiquarti construxit, pretiosaque supellectile ditavit. Alterum vero primitus a D.

Eusebio Magno aedificatum fertur, quod temporis successu restauratum donis, pretiosisque ornamentis a fidelibus locupletatum fuit. Ibi Virgineum Simulacrum venustissimo in loculamento asservatur, devotorumque pietati quotidie patet (8). Hoc tamen honorum omnium est in votis, ut Cretense hoc B.V. Sanctuarium totius Montis-ferrati gloria olim, decusque praeclarum avorum pietate, et opibus erectum, pluribusque Sacellis auctum, nepotes maiorum Religionem aemulati tandem aliquando restaurent, in elegantioremq; formam reducant.

Ibi autem in Beatae Virginis Sanctuarii custodiam, ac in spiritualia finitimorum incolarum subsidia hodie commorantur:

Sacerdotes	7.
Laici	2.
Universim	9.

(1) Vid. Ughelli — *Storia Sacra, Tom. 4 in Vercell. N. 1.* — Item Iricum Tridinensem rerum patriae Script. Lib. 1. —

(2) Pervetustus, ac pretiosus hic Evangeliorum liber Eusebii manu conscriptus, ne temporis iniuria obsolesceret, Rex Berengarius argenteis laminis exornavit, quemadmodum duplex hoc distichon in eodem libro conscriptum testatur:

*Praesul hic Eusebius scripsit solvitque vetustas
Rex Berengarius sed reparavit idem,
Argentum postquam fulvo deprompsit et auro
Ecclesiae Praesul obtulit ipse suae.*

(3) Praeter alia, quae Cretensi Virginis Sanctuario elargiti sunt privilegia Vercellenses Episcopi, Clemens VIII. Pont. Max. etiam plenariam concessit Indulgentiam per totam eiusdem Virginis Nativitatis Octavam.

(4) Inter alios artifices, qui in Cretensibus Sacellis virtutis, et ingenii monumenta reliquerunt, memoratu digni sunt Celeberrimi Ioannes Baptista Tabachetti a Valle-Siccida in opere plastico nulli secundus, et Magnus ille Apelles Guillelmus Caccia *Moncalvo* nuncupatus.

(5) Vid. Iricum Oper. sup. cit. Lib. 2. pag. 250.

(6) Ex Arch. Prov.

(7) In ipsa Ecclesiae fronte, quae occiduum solem prospectat, plures olim visebantur statuae, quarum una superest B. M. V. cum sequenti inscriptione:

DIV · HVMILIATA
COLI · GAVDET · IN · MONTIBVS · MARIA
SEV · NOS · DOCEAT · AD · SE · MAGIS · ELEVARI
SIVE · VICINIOREM · SENTIAMVS · AVXILII
METAMORPHOSES · GRADVVM
DIGNVS · PATEAT
IN · VIA · HVMILITAS · CELSITVDINIS · PANDIT
IN · PATRIAM · THRIVMPHV · EXPONIT
BENE · ADHVC · VIRGINIS · NATIVITAS · COLITVR
IN · ALTIS.
VNDE · ALTISSIMVS · NATVS · EST.

(8) In posteriore Altaris parte haec leguntur:

ERECTVM · IVSSV · DD. · VINCENTII · BARBERIS
ABBATIS · DE · REGIMINE
ATQVE · AB · EODEM · CONSECRATVM
AN. · MDCCXCII.

XI.

CONVENTUS

S. FRANCISCI ASSISIATIS BENNARUM

IN DIOECESI MONTIS-REGALIS.

Posteaquam veterem Bagiennorum Augustam, quae Caio Mario, et Valerio Flacco Consulibus, Romanorum Colonia fuerat, Camillianaeque Tribui adscripta, Barbari, atque Gothi solo tenus aequavere sub Alarico, ex ipsius ruinis ortum habuisse ferunt (1) Bennarum Oppidum, quod postea a Christiana Sabaudiae Ducissa, Carolique Emanuelis II. optima Parente, atque Tutrice Civitatis titulo, ac iure auctum fuit. Huius antiquitatem praeter alia indicia, veteris aevi monumenta quamplurima, quae ex abdito terrae sinu frequenter eruuntur, satis evincunt. Haec Urbs post varias, quas, fortuna variante, vicissitudines subiit, Astensis Praesulis nedum spirituali, sed etiam temporali dominio per aliquot saecula subiecta fuit (2). Mox vero suos habuit Toparchas ex nobilissima, et antiquissima Familia De-Costa, cuius praeclaris gestis, meritisque retexendis neque calamus, neque breves hi limites sufficerent. Tandem Sabaudiae Ducum imperio accessit, sub pientissimo Amedeo IX. inter Coelites postea adscripto (3). Ad spiritualem autem iurisdictionem quod attinet, iam ab anno 1388. ex Urbani VI. Pont. Max. Diplomate Bennarum Urbs Montis-Regalis Episcopo subdita fuit, hodieque paret. —

Extra, sed prope huiusce Urbis moenia, saeculo decimoquinto ineunte, satis amplum Coenobium Observantes adorsi sunt, cuius primum lapidem posuit sexto Nonas Iulii anno 1432. Seraphicus Heros Bernardinus Senensis (4). Iuxta hunc Conventum, qui piorum largitate numeris omnibus brevi absolutus fuit, venustissimam quoque Ecclesiam sub titulo S. Mariae Angelorum Fratres excitarunt, quam incolarum pietas, et potissimum Nobilium Toparcharum De-Costa, loci Dominorum munificentia diversimode qua sculpturis, qua picturis, qua marmore exornavit (5). Aedem hanc per integrum fere saeculum incoluerunt de Observantia Fratres Religionis operibus sedulo vacantes, ac spiritualia subsidia incolis continuo praestantes. Ibi enim praeter alios virtute claros viros commemoratus est B. Angelus a Clavasio, qui a Confessionibus erat Beatae Paulae Gambarae Brixienensis loci Comitissae, Seraphici Patris militiam sub

Bennarum
origo.

Primi Conv.
fundatio
anno 1432.

Tertio Ordine profitentis, cuius praecipuum studium erat Minorum Ecclesiam visere, ibique sese ad altiora in diem excitare. Hinc merito gloriari poterat Bennense Asceterium tam praeclaris Dei famulis illustratum.

Conv. diruit.
anno 1536.

At vero bello inter Carolum V. et Franciscum Gallorum Regem vigente, Conventus una cum Ecclesia prae militum licentia in rudus penitus abiit anno 1536. Fratres interim veteri habitaculo privati intra Urbis septa a Bennensibus recepti sunt; sed per annos nonnullos certo domicilio caruerunt. Tandem anno 1546. Bennarum Cives pro singulari ipsorum in Seraphicos alumnos benevolentia prioris Coenobii iacturam restauraturi, aliud in Urbis meditullio construendum curarunt. Ac primum Ecclesia sub Divi ab Assisio Francisci invocatione qua aere publico, qua privatis eleemosynis aedificata fuit, cuius Sacella famosis Iconibus, et sacra haud modici pretii supellectile Primores Cives exornarunt. — Mox anno 1659. cum prae vetustate iam fatisceret, Adm. R. P. Iuniperus Manassero Bennensis Benefactorum subsidio fultus eam restauravit, in elegantioremq̃ue formam redegit (6). Inter alia porro, queis sacra haec Aedes etiam nunc illustratur, ornamenta praeclara, maxime praestat Beatae Paulae Gamba-rae venerabile Corpus, quod in Sacello eiusdem nomini dicato honorifice collocatum, religiosissime asservatur incorruptum, atque ab incolis, finitimis, et convenis singulari veneratione colitur. —

Novus Conv.
erigitur
anno 1546.

Ad Coenobium vero quod spectat, Fratrum solertia, Civiumque collationibus primitus excitatum fuit; sed prae nimia loci angustia paulo exiguum, vixque a duodenis Fratribus incolendum evasit. Subinde cura potissimum P. Innocentii Britii Coenobiarchae, domibus etiam hinc inde coemptis ad ampliorem, magnificentioremq̃ue formam, quemadmodum nunc visitur, redactum fuit, eo ut viceni Fratres percommode in eo capi possint. Hic Conventus, qui Ianuensi Provinciae olim addictus erat, dein huic Taurinensi Divi Thomae Apostoli accessit, sedes iucunda fuit Observantium donec, Napoleone I. imperante, idem, quod ceteri, fatum subiit anno 1802. — Ast vero Augustissimo Rege Victorio Emanuele I. Bennensium id suppliciter deposcentium votis annuente (7), restitutus fuit renascentis D. Thomae Provinciae alumnis, qui insigni Canoniorum Collegio, Urbis Proceribus, et cuiusvis Ordinis Civibus comitantibus, universali omnium gratulatione pristinos lares ingressi sunt anno 1816, die Antonio Patavino sacra. Nunc Conventum incolunt Civibus acceptissimi:

Sacerdotes . . . 9.

Laici 3.

Universim . . . 12.

(1) Denina — *Storia d'Italia* — Theatrum Pedem. 2. Pars, pag. 77. — (2) Ex gemino Caesareo

Decreto, quorum alterum datum fuit a Ludovico Quarto Imperatore apud Ticinum anno 901., alterum vero ab Henrico Tertio datum in Aquisgrani Palatio VII. Idus Feb. MXLI.

(3) Theat. Pedem. Part. 2. pag. 79. — (4) Oper. cit. pag. 78. — Item ex P. Roberto Bollano a Cervasca. — (5) Cit. Oper. pag. 78.

(6) In pariete, qui ianuae Ecclesiae supereminet, haec leguntur :

Deo et Patriae

Fatiscentem, et informem hanc D. Francisci Ecclesiam

Adm. Rev. Fr. Iuniperus Manasserius Bennen.

Definitoric, Custodis ac Ministri in Prov. S. Thomae

Apost. numeribus egregie functus media Nave

funditus extracta, fornicibus illustrata,

tectis adaucta, benefactorum subsidio

fultus in elegantiore formam redegit,

sacraque suppellectile cumulavit. Metant

Posteri quod ille sevit, eiusque memoriam

in Coelis perpetuo victuram piis recolant

aliquando suffragiis. Non. Sextil. 1659.

(7) Ex actis Consul. Municipii die 26. Ianuarii 1816.

CONVENTUS

S. FRANCISCI ASSISIATIS TRIDINI

IN ARCHIDIOECESI VERCELLENSI.

Tridini
descriptio.

Feracissima in planitie vix altero a Pado, fluviorum principe, milliario, nobilissimum Tridini oppidum occurrit, quod inter Montisferrati Ducatus Metrocomias olim recensitum, incolarum numero, Templorum nitore, hominum litteratorum praestantia, robore militari, praeclarissimorum Principum sede, et Augustorum hospitio retro sæculis affulsit. De pervetusta ipsius origine permulta fabulantur scriptores, quibus missis, Cl. Irici sententia potius nobis arridet, qui res Patriae ex monumentis pluribus depromptas referens, a Gallis Alpes invias, Duce Belloveso, superantibus, amoenumque hoc septentrionale Italiae latus occupantibus, anno ab Urbe Roma condita 154. Rigomogum primum extractum fuisse refert (1), ex quo postea bellis diruto, penitusque deleto Tridinum ortum habuit, sic dictum, eo quod tribus castris munitum fuerit. Moenibus interno aggere solidatis, propugnaculis, et castro ad hostium impetus compescendos aptissimis Tridinum olim muniebatur; nunc temporis vero vix eorum vestigia videntur. Tridinenses haud paucis, variante fortuna, concessere fati: modo enim suis se legibus ad Reipublicae morem rexerunt; modo Vercellarum Dominis paruerunt; modo Montisferrati, ac Mantuae Ducibus subiecti fuere, demum ex pacis foedere an. 1631. Clarasci inito Mantuae Duces inter et Regios Sabaudiae Principes, Tridinum horum imperio accessit, hodieque paret.

Primus Conv.
fundatur.

Haud procul a Tridini moenibus Septentrionem versus Coenobium Divo Bernardino Senensi dicatum, quinquagenos Fratres excipiendi capax an. 1453. Primorum Tridiniensium largitate (2) e solo fuit excitatum, ac Minoribus de Observantia concessum (3), quod nonaginta circiter post annis in rudus penitus abiit. Nam perstreptibus bellorum tumultibus, Gallisque, Duce Anglerio, ex Alpium iugis in subiectam Italicam planitiem an. 1541. irruentibus, ac Tridinum iam iam minitantibus, praesidiarii milites veriti, ne extramurana aedificia hostibus tegmini esse possent, eadem, unaque cum ipsis D. Bernardini Asceterium diruerunt. Fratres interim in Urbem recepti ad pervetustam Aedem a S. Maria in Castro nuncupatam, novum habitaculum Oppidanorum pietate nacti sunt. Inibi commorati sunt Observantes usque ad an. 1628; dehinc successerunt Reformati, qui Templum prae vetustate iam fatiscens deiecerunt,

Alius Conv.
erigitur.

ac populi Tridinensis collationibus a fundamentis nova molitione restituerunt, Divoque ab Assisio Francisco dicarunt. Sacra haec Ædes unico tecta fornice, etsi veteri, quae gemino columnarum ordine fulciebatur, paulo inferior sit, suis haud tamen caret ornamentis, et elegantia. In ea siquidem quinque habentur Arae ex lignis perpolitissimis, et affabre elaboratis constructae, in quarum principe venustissimum Deiparae sine labe conceptae Simulacrum fidelium venerationi patet; in aliis autem pulcherrimae Icones extant, quae, si alteram excipias, a Cl. Ursula Magdalena Caccia celeberrimi Guillelmi, *Moncalvo* dicti, filia depictae fuere.

Coenobium porro a praefatis Reformatis sensim restauratum fuit, quod quamquam a Seraphica paupertate nihil haberet alienum, percommodum tamen vicenis fratribus domicilium praebere poterat. Heic etiam praetereundum minime est elegantissimum Sacrarium venustissimis loculis, sculptisque ornamentis locupletatum, quod opus F. Octavius Taurinus ex eadem Reformatorum familia an. 1743. perfecit. — Demum posteaquam Tridinense Minorum Asceterium, Napoleone imperante, Fratribus desertum evasit, ac venui subiectum fuit, Ioannes Thomas Bazzacco Insignis S. Bartholomaei Tridinensis Collegiatae Canonicus una cum Andrea Graziano Crescentinensi, et Antonio Ferrarotti Tridinensi Serafici Ordinis olim alumnis aere proprio illud redemit, futurum sperans, ut Francisci soboles veterem hanc sedem habitatura revivisceret. Neque Optimum Virum spes fefellit, et an. 1858. Patriae Coenobium primis suis cultoribus tradendum supremis tabulis constituit. Ast, cum fato functus, quod ei erat in votis, exequi nequivisset, Excellentiss. ac Reverendiss. D. Alexander Des-Angennes Vercellarum Archipraesul, Vir omni praeconio maior, et in pauperes Francisci Filios impari comitate, ac benevolentia praeditus, Gregorii XVI. Pont. Max. facultate obtenta, pietissimo Rege Carolo Alberto annuente, perfecit. Itaque Tridinensibus cuiusque Ordinis gratulantibus, Clero, et Patriae Moderatoribus comitantibus, Observantes D. Thomae Provinciae pristinam eorum sedem, triumphali plausu ingrediebantur Nonis quintilis MDCCCXLIII. — Ad incolarum, et finitimorum in spiritualibus utilitatem degunt in hoc Coenobio:

Sacerdotes	10.
Laici	2.
Universim	12.

Observ. iterum
Trid. recip.
anno 1843.

(1) Ioan-Andreas Iricus — Rerum Patriae, lib. 1^o. pag. 3.

(2) Inter alios, qui ad Coenobii erectionem plurimum contulerunt, memoratu dignus est Guillelmus Patricius Tridinensis. —

(3) Huiusce Coenobi initium, quod Paulum Britium dum — Seraphica Subalpinae Provinciae monumenta — conscripsit; nec non Cl. Lucam Wadingum Minorum Annalium scriptorem latuit, refert ex MSS. citatus Iricus, Lib. 2. pag. 204.

XIII.

CONVENTUS

AD S. SEBASTIANUM

BUGELLAE.

Bugellae situs,
et descriptio.

Partim super colliculi dorso, partim vero in planitie ad dexteram Cervii amnis e vicinis, et praeruptis montibus praecipitis latus levissime inclinata, industria Bugella sedet. Supera huiusce Civitatis pars, quae de Platea, vulgo (Piazzo) nuncupatur, quaeque sive publicis, sive privatis, iisque ut plurimum elegantis, commodaeque structurae aedificiis referta, inferam totam late despectat, delectabilem, et quantum oculorum acies sese effundit, latissimam prospectivam praebet. Enimvero si Orientem et Meridiem versus prospicias, amplissimus ac fertilissimus se se offert Vercellensis ager, pluribus pagis, campestribusque domiciliis undique locupletatus. — Si vero ad occiduum Solem, et ad Aquilonem te convertas, multiplices montes alii aliis elatiores, vitibus, fructiferis arboribus, castanetisque potissimum consiti spectandi circumquaque se praebent, donec obtutus a praeruptis elatiorum, nimbosarumque Alpium cautibus terminatur; adeo ut multigena rerum, qua proximarum, qua longius positarum varietate quammaxime sensus iucundentur.

Huiusce Urbis primordia porro haud facile est reperire. Ac missis, quae nonnulli scriptores ex ipsius nomine coniectare gestiunt, nobis heic dicere satis, hanc regionem ad eam Lybicorum Provinciae partem, quae — Ager Vercellensis — compellabatur, olim spectasse, atque Romanos septentrionali hac Italiae plaga potientes, Bugellae haud leve addidisse incrementum (1).

Posterioribus temporibus dehinc, Barbarorum ab Occiduis, vel Aquilonaribus plagis in peramoenas, salutiferas, vitalesque Italiae regiones iterato irruentium agmina, diuturna bella saepius sedata, iterumque gliscentia, domestica, civiliaque dissidia, et alternae Civium caedes gloriosiori Bugellae fortunae, atque decori haud parum obstitere. Tot hisce calamitatibus vitandis neque potis semper fuit Bugellensium robur, et ingenium, neque moenia, turres, et castra, quibus Bugella ab hostilibus aggressio- nibus olim tutabatur, profuere (2). Ast meliorem fortunam sibi praestolaturi Bugellenses, Amedeo huius nominis Sexto Sabaudiae Comiti, cogno-

mento *Viridi* an. 1379. ultro sese dederunt, Sede Apostolica etiam annuente (3). Neque spes eosdem fefellit; nam sub Allobrogum Ducum auspiciis in dies florescere coeperunt. Hinc Bugella Civitatis nomen, atque honores promeruit; — hinc etiam satis amplae, frequentibusve Oppidis refertae Provinciae caput a Carolo Emanuele I., cognomento *Magno*, an. 1626. merito instituta fuit; — hinc demum ne Bugellae, quae amplitudine magnifice iam dilatabatur, quaeque pluribus familiis notae, ac perantiquae nobilitatis, nec non titulis, gestisque praeclaris ornabatur, quid gloriae, honorisque deesset, Civilibus et Ecclesiasticis Ordinibus id summo opere aventibus, Augustissimoque Rege Carolo Emanuele III. deponente, Clemens XIV. Episcopalibus insignibus eam decoravit an. 1772.

Huiusce Urbis pace, belloque clarae, atque Catholica Fide clarioris quanta in Deum pietas nullo non aevo fuerit, Religionis monumenta, Asceteria, quae undecim olim numerabantur, et Augusta Tempa satis superque testantur. Et inter alia, quibus merito Bugella superbit, religionis monumenta, equidem praeterire nefas celeberrimum Oropensis Virginis Sanctuarium, quod quarto circiter ab Urbe milliario editissimo in loco ad Boream sito, atque ab elatioribus praeruptis, nimborisque Alpium montibus coronato, perbelle assurgit. Ibi magnus ille Christi Athleta Eusebius Vercellensis Praesul, furente Arianorum impietate, Simulacrum, quemadmodum fama est, a S. Luca Pauli sectatore insculptum, quod post sexenne suum in Syria exilium ad Occiduas oras redux secum detulerat, collocatum voluit. Ibiq; vir Dei gravissimas Arianorum persecutiones declinaturus, praepotens sub Deiparae praesidium confugiens, eam veluti Ecclesiae Catholicae tutelarem enixe deprecabatur, coelestiumque contemplationi vacabat. Hinc Virgineum illud Simulacrum maximo in honore haberi coepit, ac temporis successu, multiplicatis Coelitem Reginae beneficiis, Templum eidem excitatum fuit, quod perpulcre et magnifice decorant, quotquot architecturae ratio exigit, ornamenta. Sacella quoque in montis clivo ad Divinae Parentis honorem fidelium pietas erexit, in quibus egregia artificum manus eiusdem Virginis mysteria ad vivum expressit. Item sive ut illius Virginis Sanctuarii Ministri commodiores sedes haberent, sive ut aptiora quoque excipiendis omnium gentium peregrinis hospitia pararentur, primores artifices uniformia, et elegantia illa, quae nunc visuntur, delinearunt aedificia, porticibus circumquaque concameratis, arcubus in exteriori facie aequaliter se pendentibus, ac geminis unicuique arcui marmoreis columnis interpositis affabre exornata. Tota porro haec aedificiorum moles ad Austrum perbelle se aperit, ubi alte patens ianua duodenis marmoreis columnis fulta ad magnum atrium aditum praebet. Quid porro dicam de pretiosissimis gemmis, quibus Virgineum Simulacrum mirifice coruscat? — Quid de anathematibus,

Sanctuarium
Oropae describ.

votivisque tabellis, quibus totius Virginei Delubri parietes teguntur?— Quid de argenteis, aureisque vasibus, de lipsanothecis, de Sacerdotalibus indumentis, et de reliqua locupletissima suppellectile, quam Dei Genitricis cultui gratorum fidelium pietas, Nobilium largitas, ipsorumque Sabaudiae Principum Religio, ac munificentia dicavit?— Quid . . . Ast cur diutius moror, si uti literato super marmore in altero ex geminis fontibus, qui in interioris atrii area visuntur, merito legitur: — *Exiit fama haec in universam terram?* Et si quid in Oropensis Virginis Sanctuario desiderandum superest, nil est aliud, nisi ut quantocius absolvatur novum, et elegantissimum illud Templum, cuius typum delineavit Cl. ille aevi nostri Vitruvius Eques Aloysius Canina Casalensis. — Faxit itaque Deipara, ut quod omnium est in votis, quamprimum perfici queat. Parce interim lector, si prolixior fuerim quam desiderasses; Oropense enim Virginis Sanctuarium, quod aliis Italiae pluribus minime sane concedit, longe fusiora exoptaret. —

Primus Conv.
fundat.

Quod si igitur tot, tantisque Religionis monumentis Bugella gloriatur, haud mireris, si iam pridem in ea domicilium nacti sunt Franciscuales Alumni. Consilio enim et opera Guillelmi Vercellarum Antistitis, cuius iurisdictioni tunc temporis Bugella parebat, extra urbem amoeno super colliculo occiduum Solem versus Coenobium cum Ecclesia an. 1443. (4) e fundamentis erectum fuit pro Fratribus de Observantia; qui tamen propter nubila tempora ab hac prima eorum sede exulare coacti sunt, in eorumque locum, Civibus Bugellensibus id deposcentibus, ac Pio II. Pont. Max. annuente (5), Minores, quos Conventuales vocant, suffecti fuere; qui etiam paulo post extramuranum illud habitaculum deseruere, atque Conventum iuxta ac Ecclesiam Divo patri Francisco dicatam intra Urbis septa excitarent. Observantes interim posteaquam e praefato Coenobio discesserunt, nullo alio Bugellae potiti sunt domicilio, donec opera potissimum Rev.^{mi} F. Bernardini Bollati ex Min. Obs. Ordine, et Bugellensis Antistitis vigilantissimi, nec non Regia Caroli Felicis munificentia, Conventum, et Ecclesiam D. Sebastiano sacram nacti sunt an. 1829. (6). —

Observ. Bugellae
iterum recip.

Hoc Asceterium quinquagenos Fratres excipiendi capax, nec non satis amplum, et speciosum Templum e fundamentis aere proprio excitavit an. 1504. Cl. Bonifacius ex nobilissima Bugellensi Familia Ferreria prognatus, Ostroque insignitus, qui statim ac numeris omnibus ea absoluta fuere, Canonicis Lateranensibus ultro concessit, pluribus etiam redditibus superadditis. — Sacram Aedem porro D. Sebastiano dicatam, gemino columnarum ordine fultam, triplici abside, summoque apice tectam, nec non depictis ornamentis decoratam ritu solemniter consecrabat an. 1540. Guillelmus Gattinara Episcopus Nicomediensis et Cardinalis Bonifacii pii fundatoris a suffragiis, nec non Praesul Eporediensis. — Altare maius

vero, quod ex pretiosis, et versicoloribus lapidibus fabrefactum, etiam hodie visitur, extractum fuit an. 1761., veteri iam fatiscente remoto. Ad Sacellum autem Christo Crucifixo dicatum trium Purpuratorum, Bonifacii nimirum, Philiberti, ac Stephani ex praedicta Ferreria Gente corpora sepulta sunt. —

Amplissimum igitur hoc Bugellense Coenobium, quod Regulares Canonici Lateranenses ad an. usque 1798. incoluerant, solemniter auspiciati sunt duodecimo kal. Octob. MDCCCXXIX. Divi Thomae Apostoli Obs. Provinciae Alumni, quorum numerus tamen tanto aedificio par nequiquam fuit. — In praesentiarum vix dimidiam eiusdem partem inhabitant:

Sacerdotes	9.
Laici	3.
Universim	12.

(1) Vid. — *Memorie storiche, e geografiche della Città di Biella raccolte da Gio. Tommaso Mullatera, Parte 1^a, pag. 6.*

(2) Vetus olim extabat Castrum, ubi nunc Basilica habetur. — Ugucius vero Vercellensis Antistes novum aliud fortissimum in sublimiore Urbis parte construxit an. MCLX. — Lombardus autem a Turre item Episcopus Vercellensis moenia circa an. Christi MCCCXL. perfecit.

(3) Vid. — *Theatrum Statuum Reg. Cels. Sabaudiae. — Part. 1^a, pag. 122. —*

(4) Vid. — *Discorsi istoriali concernenti la vita et attioni dei Vescovi di Vercelli di Marco Aurelio Cusano. — Discors. 91. Pag. 263. N. 10. —*

(5) Ex diplom. Pii II. Pont. Max. dat. sub die 11. novemb. 1463. —

(6) Reg. Decret. dat. sub die 1. ian. 1829.

XIV.

CONVENTUS

SACRI RECESSUS MELLEAE

SUB INVOCATIONE B. V. OPIIFERAE

IN FARILIANI FINIBUS, AC DIOECESI MONTIS-REGALIS

SITUS.

Melleae situs.

Olim nemorosa, nunc vero peramoena, vinetisque consita illa regio ad laevam Tanari Fluvii ripam in Oppidi Fariliani finibus sita, quam Melleam nuncupant, saeculo decimosexto ineunte, Augustissimae Coelitem Reginae apparitione, uberrimisque ab eadem collatis gratiarum donis, clarescere coepit (1). Hinc permoti primores Farilianenses, ut debitas Sospitae Virgini rependerent grates, utque prodigiorum ab ea patratorum memoria in aevum extaret, Sacellum eo loci construendum curavere, illudque Consodalibus, qui Disciplinantes audiunt, custodiendum tradidere. Sacrum illud Divinae Parentis delubrum maximo in honore habebatur, et undique illuc confluebant quicumque vel morbo laborabant, vel angustiis premebantur, neque revertebantur, nisi optato beneficio donati (2). Bello postea Subalpinis in regionibus undequaque gliscente, fidelium pietas in Melleae Virginem paulisper deferbuit, quae tamen, redeunte pacis serenitate, mirum in modum excrevit. At vero licet admodum frequens foret populorum accessus ad Sacram illam Virginis Aediculam, raro tamen, renovata Dominicae Passionis memoria, coelesti victima litabatur. — Quapropter Farilianenses, ut pietati ac fidelium devotioni, nec non Deiparae gloriae, quam optime possent, consulere, e re esse censuerunt, Religiosos aliquos sacri illius Delubri regimini praeponere, atque communi decreto accersiti sunt ex Monasterio Venustissimi Sanctuarii B. M. V. Vici nonnulli ex Ordine Cisterciensium Monachi, qui tum ex publicis, cum ex privatis opibus collatis aedificium Ecclesiolae conterminum a fundamentis excitarunt (3). Verum paulo post iidem Monachi omnia resignarunt Clarissimo Paulo Britio ex Ordine Min. Obs. et Albensi Episcopo vigilantissimo (4), qui Farilianensium Oppidanorum votis satisfactorius die 25. Febr. anno 1647. decretum dedit, quo — *Ecclesiam de Mellea nuncupatam cum aedificiis ac sediminibus erga illam positis, atque sacram illius suppellectilem concessit, et assignavit Fratribus Minoribus*

Prim. Conv.
fundat.

Provinciae Divi Thomae Apostoli, — qui novum hoc domicilium ingrediebantur die 31. Martii eiusdem anni (5).

Verum cum populorum concursus frequentior, ac pietas in Beatam Virginem ferventior in dies evaderet, Fratres novi et elegantioris Templi, commodiorisque Coenobii construendi consilium iniere, ac die 31. Maii 1697. lapidem angularem posuere. Haud facile dictu est, qua largitate ad novam hanc molitionem opes effuderint finitimi incolae, et maxime Farilianenses; exiguo enim temporis spatio tum Conventum viceno Fratrum numero capacior, tum etiam satis amplam Ecclesiam, cuius nulla pars venustate, et elegantia caret, Pauperes Francisci Filii numeris omnibus perficere potuerunt (6). Mox super principe Templi Ara, quam ex marmoreis lapidibus affabre sectis, et perpolitus Iosephus domo Placentia a Fariliano suis sumptibus aedificarat (7), sacrum Virginis Simulacrum, quod fidelium venerationi hodieque patet, solemnī pompa collocatum fuit. —

Hoc Melleae Coenobium, quod sub Deiparae auspiciis Observantes, finitimis omnibus incolis acceptissimi, longo annorum cursu incoluerant, imperiali Napoleonis decreto, moerentes deserere debuerunt anno 1802. — Ast vero anno 1825. Paulus Henricus Sorzana a Valgrana, quondam Ord. Min., pietate, doctrinaque clarus Ecclesiam, Conventumque aere proprio redemit, et ultronea donatione Observanti D. Thomae Apostoli Provinciae concessit. Fratres interim, Augustissimo Rege Carolo Felici annuente, plaudentibus prae novo gaudio, et ostantibus finitimis Oppidanis, veterem eorum sedem laetabundi iterum ingrediebantur die 11. Octobris 1826., Provinciam moderante Patre Victorio Rosa a Villafranca Pedemontis. — Conventus iste haud iniucundum praestat Fratribus domicilium; nam praeterquamquod prae incolarum benevolentia, ac largitate victui necessaria cumulatissime providet, grata quoque oculis oblectamenta, honestasque a spiritualibus curis relaxationes praebet. Elegantia quippe viridaria, feraces horti, virentia prata, indeficientes rivuli, coeli clementia, et iucunda orientem Solem versus prospectiva ibi de pulchritudine inter se certare videntur. — Hinc sapientissimo consilio Provinciae Primores in Provincialibus Comitibus anno 1834. mense Maii habitis, Melleae Coenobium pro Sacro Recessu deputabant, quo religiosiores Seraphici Patris Alumni observantioris vitae desiderio, et divinae contemplationis studio flagrantēs sese recipere possent. —

Insuper praeter temporaria ornamenta, quae decoratur Melleae Conventus, Spiritualibus etiam bonis, pluribusque privilegiis insignitur. Ecclesia enim Virgini Opiferae sacra praeter alias quibus gaudet, indulgentias, est etiam spirituali foedere vineta sacrosanctae Basilicae Lateranensi omnium Urbis et Orbis Ecclesiarum Principi, et iisdem, quibus illa, fruitur

Nov. Conv.
et Eccl. fund.

Sac. Reces. inst.

privilegiis (8). Demum ne quid gloriae, honorisque deesset venustissimae Divinae Parentis Iconi, quae tanta fidelium veneratione sacra in illa Aede colitur, facultas, petentibus Fratribus, obtenta fuit Aurea Corona illam decorandi, ac Ill.^{mus} et Rev.^{mus} Fr. Ioannes Thomas Ghilardi ex Ord. Praedicatorum, et Montis-Regalis Praesul vigilantissimus solemnī pompa sacrum ritum absolvebat die 1. Septembris anno 1850. plaudentibus prae novo gaudio populis undique confluentibus.

Coelitum Regina interim novo hocce honore aucta, quos temporalibus in dies bonis ditat, spiritualibus quoque abunde cumulet Francisci Filios, eiusdem cultui sedulo inservientes, sunt enim:

Sacerdotes	8.
Laici	3.
Universim	11.

(1) Vid. — *Saggio storico del Santuario della Mellea*, pag. 16.

(2) Oper. Cit.

(3) Ex Arch. Convent.

(4) Tunc temporis Fariliani Oppidum in Spiritualibus Albensi Episcopo subiacebat.

(5) Decretum in Archiv. Convent. asservatur. —

(6) Brevi decem an. spatio cura, et solertia P. Gabrielis Placentia Coenobiarchae, nec non Pauli Francisci Bergamini Prov. Moderatoris Templum, et Coenobium absoluta fuere. —

(7) In Superiore Altaris parte haec in marmore insculpta leguntur:

D · O · M
 PROLIS · EXPERS
 JOSEPH · PLACENTIA
 QVOND · JOANNIS · ANTONII
 A · FARILIANO
 HANC · ARAM · PRINCIPEM
 MARIAE · REGINAE

D · D · D

1706.

(8) Decretum a Reverendissimo Sacros. Later. Ecclesiae Capitulo datum fuit an. 1797. — Mox renovatum die 7. decembris anno 1851. — ex Archiv. Conv.

XV.

CONVENTUS

S. MARIAE GRATIARUM

CARINIANI IN ARCHIDIOECESI TAURINENSI.

Septimo circiter ab Augusta Taurinorum milliario Meridiem versus, et ad laevam Eridani oram, Carinianum insigne, et populosum oppidum occurrit, quod iure meritoque Civitatis privilegio hodie insignitur. Ipsi originem, ac nomen, nescio quo testimonio nisi, a Caesare Carino, Cari Filio ad an. Christi CCLXXXIV. in occidentalibus Provinciis imperante, nonnulli repetere gestiunt (1). Muris, fossa, vallisque olim hoc Oppidum tutabatur, quorum rabies bellorum vix ullum reliquum fecit vestigium. Perplura etiam, eaque elegantis, commodaeque structurae inibi visebantur aedificia a Nobilibus Familiis inhabitata, quas inter maxime praecelebat praeclarissima Gens de Provanis, et de Romagnanis, quae nedum domicilium, sed Dominium quoque Cariniani habuit. —

Cariniani situs
et descriptio.

Verum ceteris aliis aedificiis quammaxime praestabat pulcherrimum, turratumque Castrum illud ad orientem Solem situm, quod Sabaudiae Duces incolere non semel dignati sunt. — Ibi enim Carolus I. Beati Amedei IX. et Iolantae Caroli VII. Francorum Regis Natae filius in lucem editus fuit die 29. Martii an. 1468. — Ibi etiam sedem fixit, diemque clausit extremum Blanca Guillelmi VII. Montisferrati Marchionis filia, et Caroli Primi Sabaudiae Principis Uxor, quae post manes in Augustinensium Templo marmoreo in loculo tumulata fuit. Ibi demum Philibertus II. cognomento — Pulcher — haud brevem vitae suae partem transegit, atque decurrente an. 1504. publicum illud celebravit Hastiludium, cui viri Principes, primoresque suae Ditionis Nobiles, et Equites interfuere. Haud mireris igitur, si a Cariniano, quod periucundum Sabaudiae Ducum non semel praebeuit Domicilium, quibusdam eorumdem Principum prognatis nuncupari placuit. Compertum est enim, Carolum Emanuelem I. Carinianum, aliaque in eiusdem confiniis Oppida cum annexo Principatus titulo, veluti (*Appanagium*) Thomae suorum natorum ultimo dedisse, qui primus Cariniani Principis nomine usus est. —

Vetus Castr.

Ast vero cum, saeculo decimosexto ineunte, Subalpinis in Provinciis armorum tumultus undique perstrepescerent, hinc etiam Carinianum dira fata subiit. Plura enim aedificia militum rabie, atque licentia in rudus abiere; nullaque munitio fuit, quae solo tenus non dirueretur. Quocirca

ex tot praeclaris, quibus hoc Cariniani Oppidum olim decorabatur, per-
vetustis ornamentis, vix nunc eorum memoriam in Annalibus reperis. —

Primi Convent.
fundatio.

In hoc Oppido igitur vel ab ipsis Minorum primordiis Conventum extitisse fertur. Seraphicum enim Patriarcham Franciscum, quemadmodum Montiscalerii, ita et Cariniani Coenobium fundasse anno 1222. scribit in suo opere Cl. Casalis (2). Ast vero cum an. 1251. Sanctae Clarae Monasterium pro Seraphicis Vestalibus excitatum fuisset, veriti Carinianenses, ne utrique Pauperum familiae victui necessaria suppeditare minime possent, Fratres hortati sunt, ut ad Montiscalerii Conventum remearent, quatuor tamen Cariniani adhuc degentibus, ut sacris illis Virginibus a spiritualibus subsidiis forent, earumque Ecclesiae cultui inservirent. Mirum sane est, quantum hoc Carinianense D. Matris Clarae Monasterium in dies effluerit. Nam sensim ita ampliatur fuit, opibus praecipue Nobilissimae Gentis de Provanis, ac de Romagnanis, ut octoginta in eo Sanctimoniales commode capi possent. Quanta ibi fuerit Virginum Christo Sponso inservientium vitae sanctimonia, et quam suavem omnium virtutum odorem redolerent, dici vix potest. Hinc est, quod plures nobilissimae, et etiam ex Regio Sanguine ortae puellae saeculi voluptates, atque divitias munda-
dique fastum exosae Seraphicam nuditatem amplexari maluerunt. Eas inter meminisse praestat Principem Bonam ex Achaia, quae una cum duodecim ex primoribus suis foeminis Sanctae Clarae habitum Cariniani sumpsit. Ibi etiam, ut alias plures nobilissimas puellas, Matronasque mittam, Bona Sabaudiae Ducissa, Amedeo VI. e vivis erepto, inter sacras D. Clarae Vestales adscribi petiit, ac Monasterio etiam praefecta aliquando fuit. —

Minores Carin.
recip. anno 1822.

Ad Observantes vero quod spectat, posteaquam Montemcalerium e Cariniano migrarunt, nullum amplius ibi domicilium habuerunt. Ast an. 1822. D. Thomae Provinciae Alumni Conventum, et Ecclesiam sub Invocatione Deiparae Virginis Opiferae ex Municipum liberalitate nacti sunt. Hoc Coenobium prius incolebant Augustinenses, qui anno 1475., Sixto IV. Pont. Max. annuente, extra Oppidi moenia, et iuxta Ecclesiolam a S. Maria Magdalena nuncupatam, Asceterium sibi iam excitaverant, quo bellorum causa diruto (3), hoc aliud equidem elegantius, et vicanos fratres excipiendi capax in ipsius Urbis meditullio aedificarunt an. 1548., ibique commorati sunt usque ad an. 1802.

Sacra Virginis Gratiarum Aedes porro, licet uno dumtaxat fornice, opere albario exornato tecta, ampliuscula tamen est, neque sua caret venustate. In ea siquidem praeter Aram principem octo Sacella affabre disposita, pulcherrimisque depictis imaginibus exornata visuntur. Hanc Ecclesiam pretiosissima supellectile olim locupletabat Ducissa Blanca ex Palaeologorum progenie, quae e vivis erepta, ibi etiam condita fuit (4). —

Huc usque dictis addere praestat vere singularem Carinianensium in Franciscales humanitatem, ac benevolentiam, iisdem quippe sublevandis certatim praesto sunt. Hinc est, quod Fratres lubentissime inibi commorantur, spiritualia pro temporalibus subsidia omnibus sedulo erogantes. — Adsunt enim :

Sacerdotes	10.
Laici	4.
Universim	<u>14.</u>

(1) Vid. — Theatrum Statuum Ducis Sabaudiae, part. 1^a. pag. 91.

(2) *Dizionario Geografico — Storico — Statistico — Commerciale degli Stati di S. M. il Re di Sardegna* — Vol. 3. pag. 526. —

(3) Ut illius aedificii ruinae memoria in aevum extaret, D. Augustini alumnorum cura Sacellum B. V. Lauretanae eo loci excitatum fuit, quemadmodum sequens inscriptio, quae in eodem adhuc visitur, aperte testatur:

D · O · M
 DEIPARAE · IMMACVLATAE
 DOMVM · LAVRETANAM
 EX · COENOBIO · S · M · GRATIARVM
 AN · MDXLIV · BELLORVM · INIVRIA · DIRVTO
 P · P · AVGVSTIN · CARINIAN.
 ERIGEBANT · AN · MDCIXXIV.

(4) Ad dexterum principis Altaris latus marmoreo super lapide haec leguntur:

D · O · M
 SABAVD · DVC · PEDEMON · PRINC.
 MONTISFER · MARCH.
 CARINIANI · DVCISSÆ
 VETERVM · COENOB.
 CARINIANI · ASTÆ · BARGIAR · CABVRII
 SVMMÆ · BENEFACTRICI
 DEFVNCTÆ · AN · MDXIX
 CONSECRATAM · AN · MDCXXXVI · DIE · XIV · IVLII
 P · P · AVGVSTIN · CARINIANEN.
 BENEFICIORVM · SEMPER · MEMORES
 AN · MDCLXXVI.

CONVENTUS

BEATÆ MARIE VIRGINIS DOLORIBUS TRANSFIXÆ

PROPE CUCCELLII OPPIDUM IN DIOECESI EPOREDIENSI.

Eecl. fund.

Fere media in illa feracissima Regione, quam Canapitium vocant, super colliculi dorso, qui Cuccellii Oppido imminet, satis ampla Ecclesia Deiparae Virgini doloribus transfixae dicata, iuxtaque ipsam Minorum Coenobium conspicitur. Sacrum hoc Virginis Delubrum, anteacto saeculo ad medietatem vertente, a fundamentis erectum, originem pene admirabilem praesert. Re enim vera Oppidanus quidam Cuccelliensis Eusebius nomine, vir quidem ignobilis, ac pascendis gregibus addictus, sed virtute, pietateque clarus, cum singulari studio in Divinam Parentem exardesceret, et summopere averet, ut eiusdem imago, quae haud procul ab Oppido super structili Pila depicta fidelium venerationi patebat, decentius collocaretur, sedula cura, ingentique labore ultroneas piorum oblationes quaquaversus collegit, et Ecclesiam, domumque annexam adorsus est, ac sola Dei Providentia fraetus brevi perfecit. Dehinc praedictam Deiparae imaginem, muro ipso affabre secto, super Ara principe collocandam curavit. Novam hanc Virginis Aedem, vix dum numeris omnibus absoluta fuit, Eporediensis Antistes ritu solemniter dicavit (1), libenterque indulgit, ut primus fundator clericali veste indutus eandem custodire posset; quod quidem usque ad extremum diem magna devotione atque pietate ipse praestitit. Praeclari huius viri memoriam ne deleat dies, eiusdem effigies in Sacratio asservatur cum hac inscriptione: — *Eusebius pastor Cuccelliensis primus huius Ecclesiae Eremita, singulari in Deiparam pietate clarus, et Effigiem dolentis Virginis in Pila structili a se non hinc procul erecta depictam decentius collocaret, Pilam ipsam transferendam curavit in hanc Ecclesiam, Deo mirabiliter auxiliante, brevi aedificatam, quam cum immenso labore, et eximia solertia, aedibus, et redditibus, ac bonis etiam suis Legato relictis auxisset, obiit 23. maii 1766. aet. 54, mens. 6. Postera die in hac eadem Ecclesia tumultatus. —*

Haud facile dictu est, quantum pietas erga Dolentem Virginem sensim excreverit in finitimorum pagorum incolis, qui calamitatibus, aerumnisque pressi eiusdem auxilium semper experti sunt praesentissimum. Hinc est, quod haec sacra tantae Sospitatrix Aedes gratorum fidelium largitate redditibus, ac decenti suppellectile in dies aucta fuit; hinc est etiam, quod

eiusdem Delubri custodiae Sacerdotem praeficiendum quovis tempore curaverunt Cuccellienses Oppidani. —

Ast vero, ut Deiparae cultui melius consuleretur, ac fidelibus eo loci catervatim confluentibus spiritualia subsidia continuo praestarentur, e re esse visum est pluribus, et maxime Excll.^{mo} Comiti Borgarelli Regiae Maiestatis in Regni negotiis gerendis praefecto, Fratribus Minoribus de Observantia nuncupatis Sacram illam Virginis Aedem custodiendam tradere. Quapropter, Augustissimo Rege Victorio Emanuele annuente, ac Sede Apostolica adprobante, die 26. Novembris an. 1817. hocce novum domicilium solemniter ingressi sunt Observantes, finitimis incolis summo opere gratulantibus. Porro cum domus inhabitanda exigua nimis foret, eorumdem Fratrum cura, piorumque collationibus ita sensim ampliata fuit, ut in praesentiarum duodecim Religiosi in ea commode capi possint. Hoc Coenobium licet paulo exiguum sit, pluribus aliis tamen minime concedit; etenim in sublimi peramoeni clivi iugo positum aëris salubritate, loci pulchritudine, gratissimoque Pagorum, arborumque subiacentium prospectu fruitur. — Incolunt ibi:

Minores Cuccellii
recip.

Sacerdotes. 6.

Laici 2.

Universim 8.

(1) Ad laevam Templi partem super literato marmore haec verba leguntur:

AEDEM · HANC · XL · ANTE · ANNIS

VIRGINI · DEIPARÆ · CITIVS

AC · MAGNIFICENTIVS

QVAM · HVMANA · OPE

FIERI · POSSE · VIDERETVR

EXTRVCTAM

MICHAEL · VICT · DE · VILLA · EPISCOP · EPORED.

MDCCLVIII · ID · OCTOB.

CONSECRAVIT.



CONVENTUS

BEATAE VIRGINIS AB ANGELO SALUTATAE

PROPE MURRAM IN DIOECESI ALBENSI.

Amoenissimo, ac valde amabili super colliculo, haud longe ab Oppido Murrae in Albensi Dioecesi, iam ante saeculum decimum quintum extabat Ecclesia Divo Martino dicata, vetus eiusdem loci Paroecia, cui anno a Virgineo Partu millesimo quadringentesimo nono D. Ioannes domo Mas-sobrius, Paroeciae Murrae Archipraesbyter Coenobiolum aere proprio a fundamentis excitatum adiunxit, ac Religiosis ex Ordine Servorum Beatae Virginis ultro dedit, ea tamen conditione adiecta, ut Sacellum in honorem Virginis ab Angelo salutatae in Ecclesia construendum curarent (1), quod quidem piissimi Coenobitae libentissime praestitere. Hinc sacrum illud Delubrum maximo in honore haberi coepit, atque adeo fidelium pietas erga Divinam Parentem excrevit, ut Ecclesia, prisco titulo posthabito, a S. Maria Annunciationis nuncupari placuerit. Tribus ferme saeculis inibi commorati sunt Servitae, donec Rex Carolus Emanuel IV., impetrata Pii hoc nomine Sexti Pont. Max. facultate, eosdem amovit, ac ne sacra illa Virginis Aedes negligeretur, Capellaniam instituit, quatenus per Sacerdotem a Murrae Archipraesbytero pro tempore eligendum, et ab Antistite Dioeceseos adprobandum spiritualia finitimis incolis praeberentur subsidia, oneribusque eidem Ecclesiae annexis satisfaceret, cum praestatione tamen 400. libellarum ab aerario Regio quotannis solvendarum (2). Ast Dei cultum, Virginis gloriam, incolarumque devotionem magnopere auctum iri, visum fuit, si Religiosi aliqui iterum accerserentur. Hinc Augustissimus, ac Pientissimus Rex Carolus Albertus, ut Albensis Praesulis, Murrae Oppidanorum, finitimorumque incolarum votis satisfaceret, Coenobium cum Ecclesia Fratibus de Observantia Provinciae D. Thomae Apostoli regia liberalitate concessit an. 1840 (3). — Cum vero aedificium prae vetustate rimis iam undique fatisceret, piorum eleemosynis, solertique Fratrum cura restauratum, ac nonnullis quoque cellulis auctum fuit (4). Hoc Coenobium, Ecclesiasticis, Civilibusque Ordinibus intervenientibus, ac plaudentibus prae gaudio finitimis incolis, solemniter ingrediebantur. Observantes sexto Nonas Maii MDCCCXLIII. (5). —

Hic Murrae Conventus licet paulo exiguus sit, ac vix duodecim Religiosis excipiendis idoneus; gratissimum tamen Francisci Filiis domicilium

praebet. — Ibi enim nec coeli clementia, nec fructuum ubertas, neque demum incolarum comitas, atque benevolentia desideratur; proindeque Fratres illic commorantes cum Paulo nihil habere, et omnia se possidere gloriari merito queunt. Inserviunt huic Coenobiolo:

Sacerdotes 7.

Laici 1.

Universim 8.

(1) Ex foundationis, et donationis Instrumento subscript. — Iacobus de Castagneto de Cagna..... Apostolica, et Imperiali auctoritate Notarius.

(2) Ex litteris a Regio Ministro Regni negotiis praeposito sub diebus 9. ac 20. aprilis an. 1798. Albensi Episcopo datis. —

(3) Ex Regio Diplomate sub die 19. augusti an. 1840. Taurini dato.

(4) Prae aliis, qui huiusce Conventus restorationi solertem manum admovere memoratu digni sunt — P. Gregorius Franco a S. Damiano Astarum — et P. Bonitius Sola a Carmaniola Guard. —

(5) Ex Archiv. Convent. et Prov.

CONVENTUS

AD SANCTUM FRANCISCUM ASSISIATEM

IN OPPIDO S. GEORGII

SITUS.

S. Georgii situs.

Inter alios plures vicos et pagos, queis peramoena illa Insubriae regio, quam Laumellinam vocant, locupletatur, haud ultimum tenet locum insigne, satisque populosum Viglevanensis Dioeceseos Oppidum, quod a S. Georgio nuncupatur. Sedet enim fructifera in planitie, rebusque omnibus ad vitam utilibus satis, superque abundat. In Marchiam etiam evectum olim fuit, eiusque titulo potiebatur Alexandrina Gens Grattarola.

Conventus fund.
anno 1605.

In hoc Oppido igitur, incolis id summopere aventibus, Coenobium sub titulo S. Patris Francisci construendum pro Minoribus, quos Reformatos compellant, decretum fuit anno 1605. (1). Hinc Rev.^{mo} P. Archangelo Messana totius Ordinis Moderatore, ac Antistite Papiensi, cuius iurisdictioni Laumellina tunc temporis parebat, annuentibus (2), prima Conventus fundamenta anno salutis 1609. iacta fuere, ac Oppidanorum largissime erogantium opibus, ingentique solertia, brevi absolutus fuit. Licet in eo nihil haberetur, quod dedeceret Seraphicam paupertatem, nihil tamen pro Fratrum commoditate desiderandum supererat, eo ut inter elegantiores Reformatorum S. Didaci Provinciae merito haberetur. Inibi siquidem praeter commoda pro vigintiquinque saltem Religiosis habitacula, officinasque domesticas, viridaria quoque, horti, ac virentia prata muro undique septa habebantur. Item Ecclesia Divo ab Assisio Francisco sacra, quamquam non admodum ampla, sua tamen haud caret elegantia, atque venustate. Hoc Coenobium Reformati praefatae S. Didaci Provinciae usque ad annum 1805. incoluere, quo prae temporum calamitate derelicto, in aliud in eadem Laumellinae Provincia existens remearunt, donec anno 1810. etiam in eadem provincia, quae ad Regnum Italicum tunc pertinebat, Religiosorum suppressio contigit. Interim S. Georgii Conventum Fratribus desertum, ac veni expositum aere proprio acquisivit Antonius Passerini a Mortaria, qui postea, R. P. Sanctino Cerani a S. Georgio potissimum impellente, Fratribus de Observantia Divi Thomae Apostoli Provinciae, munifica liberalitate eundem largitus est anno 1817. —

Verum quia prae vetustate iam rimis undique fatiscebat, solerti Fratrum cura, Benefactorumque eleemosynis restauratus fuit, eumque solemniter ingressi sunt Observantes die 2. Augusti praedicti anni, incolis prae novo gaudio gratulantibus, conveniente quoque Rev.^{mo} Eugenio Cerina quondam Mediolanensis Obs. Provinciae Alumno, et Sergiopolis in infidelium partibus Episcopo, qui Aram principem sacro Chrismate delibuit, Ecclesiamque religioso ritu dicavit. Commorantur autem ibi ad incolarum, et finitimorum in spiritualibus utilitatem:

Sacerdotes 8.

Laici 3.

Universim 11.

(1) Ex Instrum. subscript. — De Gritiis. —

(2) Lit. Approb. Reverendiss. P. Gen. datae sunt Papiæ die. 7. feb. 1608; Episcopi vero Papiensis an. 1609.

HOSPITIUM

FERTOLLÆ IN LOMBARDORII FINIBUS

DIOECESI EPOREDIENSI.

Octavo circiter a Taurino lapide in Oppidi Lombardorii Dioecesis Eporediensis finibus Conventuale Minorum Hospitium, quod Fertollam vocant, occurrit. Hocce habitaculum, iuxtaque illud Ecclesiolam sub Invocatione Ss. B. V. Rosarii Observantibus D. Thomae Apostoli Provinciae ultronea donatione largitus est D. Bonaventura Campeggio Taurinus. Hic vir eximius in patria Universitate iuris laurea donatus, causarum patrocinia suscepit: quo in munere obeundo, licet laudabiliter se pluribus annis gessisset, fori tamen, et mundi pericula declinaturus inter Fratres Minores de Observantia cooptari humiliter petiit, ac Tertii Ordinis habitu indutus, nec non Sacerdotio initiatus, octo fere annos in Taurinensi D. Thomae Coenobio commoratus est, praeclara consodalibus suis virtutum exempla praebens. Ast diutina aegritudine correptus, quo facilius convalesceret campestre in domicilium prope Lombardorium sitam, ubi rurari quondam consueverat, sese recepit, ibique diem clausit extremum 24. Septemb. an. 1831., cuius corpus in Minorum Pulchrimontis Ecclesiam translatum in Fratrum monumento, quemadmodum vivens optaverat, conditus fuit. Is igitur singulare studium, quo Francisci alumnos dum in vivis ageret prosecutus semper fuerat, moriens quoque testari voluit. Supremis quippe tabulis (1) praefatum domicilium, sacram Aedem, supellectilem, hortum, praediumque annexum Observantibus ultro concessit pro Hospitio construendo, eo tamen pacto, ut duo saltem Sacerdotes ibi degerent Confessarii, qui a spiritualibus subsidiis accolis forent. — Anno itaque 1833., Sedis Apostolicae facultate prius impetrata (2), hoc habitaculum die 9. Iulii auspicati sunt Observantes, qui sensim illud restaurarunt, ac in meliorem, commodioremque formam redegerunt, eo ut octo saltem Fratres in praesentiarum in eo diversari commode possint.

Incolunt autem:

Sacerdotes	. . .	3.
Laicus	. . .	1.
Universim	. . .	4.

(1) Ex Instrum. die 2. aug. 1830.

(2) Litt. S. Cong. Episcop. et Reg. dat. die 22. Martii 1833.

XX.

HOSPITIUM

AD SANCTUM MARCUM

MONTIS-CALVI IN DIOECESI CASALENSI.

Super eminentis, valdeque amabilis collis iugo Mons-Calvus insigne Montis-ferrati Oppidum sedet. Muris olim, ac fortalitio muniebatur, quorum vestigia hodiedum visuntur. Hoc Oppidum, Gonzagis Mantuae, Montisque-ferrati Dynastis deficientibus, Regiis Sabaudiae Principibus, Victorio Amedeo II. imperante, accessit an. 1704, ac postea sub Victorio hoc nomine Tertio an. 1774. Civitatis titulo auctum fuit.

Haud procul ab huiusce Urbis septis, occiduum Solem versus, ac feracissimo super clivo vinetis circumquaque consito, venustissimum sub titulo D. Bernardini Senensis ad Christi an. 1515. auspiciati sunt Observantes Coenobium, quod amplitudine, aëris salubritate, locique amoenitate paucis aliis concedebat, et ad lanuensem primitus, dehinc ad aliam a S. Didaco nuncupatam Provinciam pertinebat, domesticumque Philosophiae Gymnasium diu providit. Ast celebris hic Conventus tribus pene saeculis a Fratibus incolatus post dira fata, quae una cum ceteris, Napoleone imperante, subiit, haud amplius revixit. Nam venui expositus, magna ex parte cum ipsa Ecclesia eversus fuit, et quae pars in praesentiarum adhuc visitur, satis omnibus compertum facit, quam iucundum ibi domicilium haberent Observantes, quantaque foret in eosdem Civium benevolentia et largitas. At vero a Montis-Calvi Civium animis singulare in Franciscas studium nequiquam excessit, ac anno 1849. Ecclesiolam Divo Marco sacram, domumque eidem adnexam, Rege Victorio Emanuele II. annuente (1), Observantibus S. Thomae Provinciae Municipibus ultro concessere, quatenus in loci Nosocomio, nec non Orphanotrophio a subsidiis spiritualibus ipsi forent. Cum porro nimia loci angustia premerentur Fratres, Cl. Petri Brovero, ac Iosephi Camossi largitionibus, ingentique P. Victorii Rossi a Moretta solertia novum a fundamentis excitatum fuit habitaculum, in quo sex Religiosi commode capi nunc possunt. Hoc Fratrum domicilium iure Conventualis Hospitii gaudet (2), ibique in

aegrotantium, orphanorum, et incolarum in spiritualibus utilitatem degunt:

Sacerdotes	5.
Laicus	4.
Universim	4.

(1) Reg. Decret. dat. fuit. die 29. nov. 1850.

(2) Ex Decret. S. Cong. Episcop. et Regal. die 15. iunii 1855.

DE CONVENTIBUS AD EIUSDEM PROVINCIAM

OLIM SPECTANTIBUS.

Cum haud pauci ex Conventibus ante generalem Ordinum suppressionem ad Almam Taurinensem D. Thomae Apostoli Observ. Provinciam iam pertinentibus prae temporum calamitatibus vel in rudus abierint, vel ad alios usus fuerint redacti, abs re nequicquam erit, breviori saltem calamo, singulorum historiam retexere, ne eorum notitiam dies penitus deleat. Sit ergo. —

I.

CONVENTUS

S. MARIAE GRATIARUM

IN URBE MONTE-REGALI.

Super editissimi iugo montis ad eam Ligusticarum Alpium partem, quae Boream prospectat, nobilissima Pedemontii Civitas Mons-regalis sedet, quatuor insignibus circumdata suburbiis, quae montis acclivitatem occupant. In hac Urbe satis amplum Minorum Coenobium sub titulo S. Mariae Opiferae extabat, cuius primordia ad an. 1480. Paulus Britius refert. Magna huiusce Asceterii, aequae ac Ecclesiae fabrica Civium opibus, ac largitate absoluta fuit. Hortos vero, viridiarum, vineta, et per amplam Clausuram, queis elegantiora perperam alibi quaesivisses, industria, ingentique labore P. F. Antonii Francisci Vegnaben ex illustri Gente prognati, Theologi, Definitoris, et Conventus primum, dein totius Subalpinae Provinciae Moderatoris vigilantissimi addita fuisse, historica documenta testantur. In Claustro autem quadrati formam referente venustissimae visebantur picturae praecipua B. P. Francisci miracula representantes, Nobiliorum Civium eleemosynis excitatae. In Ecclesia vero praeter alia plurima, queis decorabatur, ornamenta, sacrum asservabatur B. Balthassaris a Castro-Novo Seraphici Ordinis Alumni corpus. Hoc Coenobium Religiosorum numero, Regularique Observantia nullo non tempore insigne, superveniente generali Ordinum suppressione, Fratibus desertum evasit, ac veni expositum ad aliam formam redactum fuit, eo ut vix pristinae suae speciei vestigium hodie praeseferat. Inibi siquidem elegantissimum constructum fuit Collegium ad iuventam scientiarum disciplinis imbuendam.

CONVENTUS

S. GEORGII MARTYRIS

IN URBE CHERII ARCHIDIOECESI TAURINENSI.

Iam ab ipsis Patriarchae Francisci temporibus eiusdem Alumnos domicilium quoddam Cherii habuisse refert Waddingus (1). Ast quonam in Urbis loco extiterit, et quamdiu Fratres illic fuerint diversati, haud liquido constat. Illud tamen compertum habetur, anno 1479. Summam Pontificatus tenente Sixto IV., ac Philiberto I. Sabaudiae Duce imperante, Coenobium prope Urbis moenia Taurinum versus adorsos fuisse Observantes sub titulo S. Mariae Gratiarum, quod postea bellorum rabies solo tenus aequavit anno 1536. — Ast anno sequenti, obtenta Pauli III. Pont. Max. facultate, novum qua publicis, qua privatis opibus, e solo excitatum fuit Asceterium prope sacram D. Georgii Martyris Aedem, toti ferme Urbi, qua circumcingitur imminens. Item Ecclesia quae aliquid vetustatis praeseferebat, primorum Civium, Nobiliumque familiarum ope et largitate restaurabatur. In ea honorifice conditum fuit sacrum B. Alexandri a Mediolano Seraphici Alumni corpus, magna devotione a fidelibus cultum. Hoc Coenobium aëris salubritate, loci amplitudine, cellarum commoditate, dormitoriorum elegantia, hortorum ubertate, prospectusque pulchritudine vere insigne incoluere Observantes usque ad annum 1775. — Cum enim per Apostolicum Clementis XIV. Pont. Max. Breve Societas Iesu anno 1775. suppressa fuisset, regia Victorii Amedei munificentia Collegium, et Ecclesiam Divo Magno Antonio sacram, quae ad eandem Societatem iam pertinebant, Observantibus concessa fuere, qui S. Georgii Coenobio relicto, novam hanc Aedem auspicabantur mense Febr. anno 1775; ibique commorati sunt usque ad generalem Religiosorum dispersionem a Napoleone I. anno 1802. decretam. Cum vero post nubila tempora pacis serenitas iterum affulsisset, Alumnis Societatis Iesu vetus eorum domicilium a Franciscalibus iam inhabitatum denuo restitutum fuit anno 1823., qui tamen prae temporum calamitate ab eodem extorres nuperrime facti sunt.

(1) Waddingus — Tom. 1. pag. 176. parag. 56. — item pag. 189. et seq.

III.

CONVENTUS

B. VIRGINIS AB ANGELO SALUTATAE

FOSSANI.

Extra Urbis Fossani septa, facultate a Martino V. Pont. Max., et Amadeo VIII. Sabaudiae Duce obtenta, venustissimum pro Observantibus Coenobium e solo excitatum fuit ad annum a Virgineo Partu 1452. Quod paucis aliis pulchritudine atque decore concessisse, scribit Paulus Britius (1). Illud tamen anno 1536. perstrepe[n]te bellorum turbine, militumque licentia comite devastatum, ac pene dirutum fuit. Fratres interim veteri eorum sede privati in Urbem excipiuntur, novamque Ecclesiam B. Virgini ab Angelo salutatae prope moenia moliuntur, munificentissimo Carolo Emanuele Sabaudiae Duce primum lapidem iacente decimo septimo Kal. Maias anno MDLXXXI. Item iuxta sacram hanc Aedem satis commodum Coenobium vicos Fratres excipiendi capax Primorum Fossanensium collationibus brevi absolutum fuit. Gratissimum hocce domicilium Franciscas Alumni Civibus quovis tempore acceptissimi incoluerunt usque ad annum 1802. Hodie vero in eo commorantur Sacrae Vestales ex Ordine S. Benedicti, quas Christus Sponsus, cui toto cordis affectu devinciuntur, diu sospitet, atque fortunet, donec ad coelestes nuptias easdem vocare dignetur.

(1) Seraphica Subalpinæ Divi Thomæ Prov. Monumenta pag. 86.

IV.
CONVENTUS
SANCTISSIMAE ANNUNTIATIONIS

CARMANIOLAE.

In Suburbio Civitatis Carmaniolae Orientem versus amplissimum Asce-
terium sub invocatione Beatae Mariae Virginis ab Angelo salutatae aere
publico inchoatum fuit an. 1486. Seraphicum Ordinem Vicaria potestate
moderante B. Angelo a Clavasio. Brevi septem annorum spatio numeris
omnibus absolutum fuit, illudque, impetrata ab Alexandro VI. Pont. Max.
facultate (1), Observantes ingressi sunt an. 1493. — Huiusce Coenobii
capacitatem, et elegantiam Paulus Britius perbelle describit (2). Gemino
siquidem constabat Claustro, elegantibus dormitoriis, refectorio picturis
exornato, amplissimaque Clausura, quae hortos feracissimos, elegantia
viridaria, uberrima vineta, ac viridentia prata complectebatur. Item Ec-
clesia Divinae Parenti sacra, licet uno dumtaxat abside tecta, amplissima
tamen, ac venustissima erat, vicena complectens Sacella Iconibus affabro
penicillo depictis, pretiosaque supellectile exornata. — Verum gratissimum
hocce Minorum domicilium bellorum rabies an. 1640. penitus diruit.
Interim quo animi dolore tantam sine remedio iacturam Fratres lamenta-
rentur, haud facile dixeris; quam tamen Cives pro singulari ipsorum in
Seraphicum Ordinem studio aliquo modo restauraturi communibus opibus
alii adorsi sunt Monasterium prope Aediculam vulgo (*la Madonna del*
Salsasio) nuncupatam, quae vix milliarii spatio ab Urbe distabat, Chri-
stiana Sabaudiae Ducissa Caroli Emanuelis II. Parente optima, eiusdemque
Tutrice quammaxime impellente. Hoc itaque Coenobium, aequae ac Tem-
plum sub priori Ss. Annuntiationis titulo die 26. Aprilis an. 1643. inchoa-
tum, Civium collationibus, praefatae Ducissae munificentia, nec non se-
dula Fratrum solertia sensim absolutum fuit. Inter alia, quae hoc Coeno-
bium decorabant, memoratu digna est Bibliotheca, quam ingenti librorum
numero locupletavit Adm. R. P. Odoricus Adami a Carmaniola. Verum
gratum et satis amplum hoc habitaculum 30. circiter Fratres excipiendi
capax, quod tanta Benefactorum largitate excitatum fuerat, quodve inter
elegantiora D. Thomae Provinciae merito cooptabatur, a Gallorum exer-
citu sub finem praeteriti saeculi diro incendio conflagratum fuit (3), et
vix nonnulla eiusdem vestigia hodie visuntur.

(1) Apostolicum Breve dat. fuit tertio Kal. Iunias an. 1493.

(2) Britius — Opere cit. fol. 106.

(3) Vid. Casalis — *Dizionario Geografico* vol. 2. pag. 379 — 604.

V.

CONVENTUS

MUS. S. MARIE ANGELORUM

BRAYDAE

Brayda opulentissimum Archidioecesis Taurinensis Oppidum, quod prae aëris, coelique temperie, arborum feracitate, colliculorum ubertate, hortorum pulchritudine, mitique incolarum natura paucis aliis Pedemontanae Ditionis concedit, sub initium saeculi decimi septimi Franciscales de Observantia peramanter excepit. Anno siquidem a Virgineo Partu 1604. Braydensium Oppidanorum id enixe flagitantium votis satisfactorum P. Philippus Ticinensis, S. Didaci Provinciae Moderator, veluti sui Commissarium delegit P. Ioannem Baptistam a Montemaggio, eique munus Coenobium Braydae construendi demandavit.

Impetrata igitur a Clemente VIII. Pont. Max., et a Carolo Emanuele I. Sabaudiae Duce facultate, in meridiana Oppidi parte iuxta Ecclesiam D. Ioannis Baptistae sacram prima Conventus fundamenta, incolis summo-pere gratulantibus, iacta fuere. Ast cum vix aliqualem Asceterii formam fabrica praesferret, praepotens Martis rabies ab ulteriori opere superedere coëgit. Mox vero P. Paulus Britius Braydensis Coenobii Moderator, dehinc Provincialis, et Definitor Gen., postmodum Albensi Infula insignitus, veteri iam inchoata fabrica posthabita, nec non saecularium domibus hinc inde adherentibus, Victorii Amedei Sabaudiae Ducis munificentia, coëmptis, novi et elegantioris Monasterii fundamenta iecit tertio Idus Aprilis an. 1633., quod, Oppidanis suppetias certatim praebentibus, brevi ad id perfectionis evasit, ut in eo nihil prorsus, quod delectationem, aequae ac utilitatem haud praesferret, reperiisses. Anno porro 1675. Conventus instauratus fuit. Item Primores Oppidi Familiae magnis utique sumptibus Ecclesiae restorationem auspiciati sunt, eamque valde ampliarunt, geminis hinc inde Sacellis funditus erectis. Braydense hoc Coenobium inhabitant Observantes usque ad an. 1802. — Dehinc ad profanos usus redactum fuit.

VI.

CONVENTUS

AD S. AB ASSISIO FRANCISCUM

GATTINARIAE.

In dextero Sessitis fluvii latere apud Insubriae confinia Gattinaria insigne Pedemontanae Ditionis, et Archidioecesis Vercell. Oppidum occurrit. Inibi Observantes Provinciae Mediolanensis Coenobium duodenos saltem Fratres excipiendi capax, aequae ac Ecclesiam sub Divi Patris Francisci titulo auspiciati sunt an. 1619. in ea Oppidi parte, quae Meridiem prospectat. Quo studio, quae comitate Franciscas Alumnos complexi fuerint incolae, ex eo facile est colligere, quod eorum opibus, largissimisque elemosynis Conventus iuxta ac venustissima Aedes sacra brevi numeris omnibus absolvi potuerint, PP. Michaelae Augustino a Pavono, et Stephano a Nicaea Coenobiarcha opus maxime promoventibus. Hoc Coenobium, quod ad Mediolanensem Ordinis Provinciam primitus pertinebat, mox ad hanc D. Thomae Apostoli, haud ingratum Observantibus domicilium praebuit usque ad generalen Religiosorum dispersionem. — Modo vero una cum maiori Conventus parte adhuc extat Ecclesia, in cuius superliminari ad perpetuam Minorum memoriam Seraphicum Stemma in marmore insculptum visitur. Huiusce Conventus historiam divulgavit P. Franciscus Antonius a Gattinaria vir doctrina clarus, et concionator eximius.

VII.

CONVENTUS

AD SANCTAM MARIAM

S. DAMIANI DIOECESIS ASTARUM.

Sexto ab Asta lapide Libim versus S. Damiani Oppidum paulo editiori in planitie consurgit, quod amoenissimi colles ad instar pulcherrimi amphitheatri perbelle circumdant. Huiusce Oppidi incolae desiderio magnopere flagrant accersendi Franciscanae Observantiae Alumnos, qui spiritualia subsidia quotidie ipsis praeberent, Ordinis Moderatores enixe precati sunt, quatenus Seraphicos operarios eo mittere dignarentur. Piis eorum votis satisfactorius S. Didaci Provinciae Minister aliquot Fratres incunctanter illuc misit, qui Aediculam Divinae Parenti sacram in proximo amoenissimo clivo (vulgo Lavezzola) situm, cui etiam nonnullae cellulae adhaerebant, pro eorum sede acceptam habuere. At vero cum nimia loci angustia Fratres premerentur, impetrata a Paulo V. Pont. Max., et a Carolo Emanuele Sabaudiae Duce facultate, novum Coenobium, aequae ac ampliores Ecclesiam adorsi sunt anno 1606., Oppidanis opes, et auxilia satis abunde ferentibus. Hic Conventus in Generalibus Toletanis Comitibus a S. Didaci Provincia seiunctus huic D. Thomae incorporatus fuit, Cl. Paulo Britio Def. Gen. potissimum agente. — Mox anno 1752. pro sacro Astensis Custodiae Recessu deputatus fuit, quo Religiosi altioris, ac severioris vitae cupidi sese recipiebant, ut sibi, Deoque sollicitius vacarent. Hinc est, quod Fratres inibi commorantes maxima in aestimatione apud finitimos incolas habebantur, quorum memoria apud illos hodieque viget. Ast prae nubilis temporibus Fratres extorres facti, vetus hoc eorum habitaculum haud amplius nacti sunt.

VIII.

CONVENTVS

S. MARIE GRATIARUM

VIGLEVANI.

Apud Ticinum amnem late patente in planitie Viglevanum venustissima Insubriae Civitas occurrit. Haec Urbs, cuius primordia ad remotiora tempora Scriptores referunt, coeli clementia, viarum pulchritudine, singulari Plateae venustissimis porticibus circumseptae amplitudine et elegantia, Templorum nitore ac venustate, incolarumque comitate maxime praestat, et paucis aliis Pedemontanae Ditionis concedit. Episcopalibus Infulis quoque prae fulget, quibus Clemens VII. Pont. Max. anno 1550. eam decorabat, Francisco Sfortia Mediolanensi Duce, cui ea tempestate Viglevanum parebat, enixe deposcente. In Viglevanensium Episcoporum syllabo recensetur quoque P. F. Petrus Marinus Sormanus Mediolanensis ex Ordine Minorum de Observantia, cuius praeclara merita cum septa claustrum haud caperent, Episcopalibus insignibus ab Innocentio XI. auctus fuit, Carolo II. Hispaniarum Rege potissimum flagitante, ac Viglevanensem Ecclesiam quatuor et decem annis sapientissime rexit. Obiit anno 1702., ac in Maiori Templo conditus fuit (1). —

Cum itaque saeculo decimoquinto Dei Verbum ingenti cum animarum fructu Viglevani Minores disseminassent, Cives singulari studio in eosdem incensi summopere avebant, diutino eorum Religiosorum consortio se frui posse, quatenus ex eorum consuetudine maiora in dies bona spiritualia perciperent. Quapropter Serenissimus Galeatius Sfortia Mediolanensis Dux, qui inibi quoque principabatur, ut Civium votis faceret satis, a Sixto IV. Pont. Max. Conventum pro Minoribus de Observantia aedificandi facultatem impetravit anno 1475. — Hinc qua privatis, qua publicis opibus extra Urbis moenia amoenissimo in loco satis amplum Coenobium, aequae ac Templum Opiferae Virgini dicatum e fundamentis excitata, brevique numeris omnibus absoluta fuere, cura potissimum, indefessoque labore Beati Patris Pacifici a Cerano. Ecclesiam ritu solemniter consecravit die 25. Octobris anno 1478. Rev.^{mus} D. Antonius de Latiis Novariensis Antistitis a suffragiis. Iacebat ibi in Sacello Divo Bernardino Senensi sacro B. Christophorus Mediolanensis ex nobilissima familia *Maschasoli* progenitus, qui vitae sanctitate clarus obiit anno 1540., signis

etiam post mortem illustratus. Summa Fratrum cura in Archivio Conventus asservabatur etiam Apostolicum Sixti IV. Breve pro eiusdem Conventus fundatione, quod tamen iniuria temporum deperit. —

Hoc Viglevanense Coenobium, quod ad Mediolanensem Ordinis Provinciam ab ipsius erectione spectabat, huic D. Thomae accessit an. 1783., ibique sub geminis Lectoribus S. Theologiae Gymnasium habebatur. Demum Napoleonis I. decreto Fratribus desertum evasit an. 1802. — Mox venustissima B. V. Gratiarum Ecclesia solo tenus aequata fuit an. 1810. Nunc autem Conventus pars adhuc visitur ad profanos usus inserviens.

Ad hoc Viglevanense Coenobium spectabant etiam gemina Hospitia; quorum alterum sub titulo S. Bernardini in Oppido Campolati; alterum vero sub auspiciis S. Ioseph Cerani situm erat. In hoc postremo, teste Waddingo (2), plerique viri piissimi, doctrinaque clari inhabitaverunt. Ibi etiam conditus fuit Beatus Pacificus Ramati. Ex quo porro haec Hospitia una cum Viglevanensi Conventu Divi Thomae Provinciae accessere, eorum Moderatores in Provinciali Capitulo suffragandi privilegio decorati sunt.

(1) In Sacello S. Caroli sequens literatum marmor habetur:

PETRVS · MARINVS · SORMANVS
 MEDIOLANENSIS
 COENOBITA · MINORIS · OBSERVANTIAE
 S. SEPVLCRI · INFVLATVS · CVSTOS
 CATHOLICO · CVLTVI
 REDEMPTA · A · TVRCARVM · CONTEMPTV
 SACRA · ALIQVA · REDEMPTIONIS · LOCA
 SVI · ORDINIS · GENERALIS · MINISTER
 SIBI · ET · SERAPHICAE · RELIGIONI
 SVMMI · PONTIFICIS · IMPERATORIS · REGVM
 BENEVOLENTIAM · ET · PATROCINIVM
 VIGLEVAN · EPISCOPVS
 SEMINARIO · NOVAS · AEDES · ET · CENSVM
 TEMPLI · M · CHORO · QVINQVE · SACERDOTIA
 ARIS · SACRAM · SVPELLECTILEM
 ADIVNXIT
 POST · OPERA · ET · OPES
 VITAM · QVOQVE · DEO · REDDIDIT
 PRIDIE · ID · SEPT · AN · SAL · MDCCH
 ETAT · SVÆ · LXX · EPISCOPATVS · XIV.

(2) Wad. — Tom. 14. pag. 163. parag. 58.

CONVENTUS

AD SANCTUM FRANCISCUM ASSISIATEM

CRESCENTINI.

Ad laevam Eridani oram in Archidioecesi Vercellensi Crescentini Oppidum situm est, quod Civitatis privilegio hodie merito potitur. Extra ipsius septa Aquilonem versus Coenobium pro Franciscalibus de Observantia sub auspiciis Beatae Virginis Gratiarum constructum fuit an. 1479., Sixto IV. Pont. Max. adprobante, ac Philiberto I. Sabaudiae Duce indulgente. — Mox armorum turbine ingruente, an. 1543. dirutum penitus fuit, ac ne vestigium quidem ipsius remansit. Verum Crescentinenses Minorum consortio privari haud passi sunt, ac praevia Pauli III. Sum. Pont. facultate, novum sub titulo S. Patris Francisci Asceterium vicenos Fratres excipiendi capax intra munitiones et valla an. 1547. adorsi sunt, ac certatim opes suas contulere, ut quantocitius absolveretur. Eorumdem incolarum collationibus venustissimam Ecclesiam funditus erexere, PP. Aegidius et Hieronymus ex nobili gente de Vialibus, qui nedum sanguine, sed etiam singulari in Patriae Conventum studio vere germani se praebuerunt. Sacrae huius Aedis venustatem mirifice adaugebant pretiosae Icones, quas eleganter, et affabre expresserat celebris Guillelmus Caccia *Moncalco* nuncupatus. Hocce Minorum domicilium ad S. Didaci Provinciam primum pertinens, ubi non semel Provincialia Comitata habita sunt, huic D. Thomae accessit an. 1622. — Aderat ibi Philosophiae Gymnasium ad Seraphicam iuventutem litteris imbuendam. Verum post generalem Religiosorum dispersionem Crescentini Conventus dirum fatum subiit; Ecclesia siquidem, in qua tot incolarum pietatis monumenta prostabant, penitus eversa fuit; Fratrum vero habitaculum ad alios usus redactum pristinam speciem haud amplius praesert. Refectorium tamen, ac nonnullae Religiosorum cellulae adhuc hodie visuntur.

X.

CONVENTUS

AD SANCTUM BERNARDINUM

CLAVASII.

Decimo circiter a Taurino lapide haud procul a sinistro Padi latere, ubi Morgus fluvius eidem miscetur, aequali in planitie Clavasium iacet, vetustate equidem praestans, et propugnaculis, muris, vallisque olim circumseptum.

Retro abhinc saeculis Clavasium maxime floruisse, eiusdem Annales luculentissime testantur; fuit enim aliquando Montis-ferrati Marchionum sedes, praestantissimarum Nobilium Familiarum hospes, clarissimorumque Virorum parens. Ad Sabaudiae Duces accessit an. 1649. — In spiritibus vero Episcopo Eporediensi hodie paret. —

Extra huiusce Urbis moenia non inelegans extabat Minorum Coenobium Incolarum sumptibus anno 1491. excitatum, quod postea praepotentis Martis rabies pessumdedit, soloque aequavit an. 1536. — Fratres interim eorum sede extorres, ac intra Urbis septa recepti novum habitaculum adorsi sunt an. 1537. (1), sub titulo S. Bernardini Senensis, facultate a Paulo III. Pont. Max. impetrata. Hic Conventus porro haud leve incrementum nactus fuit nava solertia Religiosissimorum Provinciae Patrum Francisci Scarroni a Cherio, Ludovici Guerilli a Pinarolio, et Cherubini Botta a Brayda, qui tum Ecclesiam venustiore, tum Fratrum habitacula commodiora reddidere. In huiusce Coenobii Tabulario tria olim asserabantur Summorum Pontificum diplomata (2) ad Beatum Angelum a Clavasio diversis temporibus conscripta, quae nubilorum temporum iniuriae concesserunt. —

Clavassii hocce Minorum domicilium, ad Ianuensem primum, mox S. Didaci, demum D. Thomae Provinciam pertinens post generalem Ordinum suppressionem ad alios usus redactum fuit; hodie autem Urbis Collegium in eo habetur.

(1) Cl. Britius Conventus foundationem refert ad an. 1520. — Ast eo tempore nondum vetus fuerat eversus.

(2) Alterum ex dictis Diplomatis erat Innocentii Octavi dat. sub die 2. septembris an. 1491., quo ipse B. Angelus Nuntius Apostolicus et Commissarius contra Valdenses Haereticos delectus fuit. Alterum eiusdem Pontificis, quo eidem elargiebatur facultas dispensandi in quocumque affinitatis gradu, si matrimonium iam fuisset contractum. — Tertium demum Sixti Quarti dat. sub die 1^a Ianuarii 1481., quo idem Pater Angelus Nuntius, et Sacrae Cruciatæ Commissarius constituebatur.

CONVENTUS

S. MARIE ANGELORUM

VILLAENOVAE ASTENSIIUM.

Medio fere itinere Asta Taurinum versus regia via proficiscentibus insigne Villaenovae Oppidum late patente in planitie occurrit, cuius nomen ex eo repetunt, quod ex plurium pagorum ruinis, quos praepotens Bellona hinc inde diruerat, aedificatum fuerit. Extra huiusce Oppidi muros Minorum de Observantia Coenobium sub Deiparae Virginis Gratiarum invocatione antiquitus aderat, cuius initium nos penitus latet. Pro certo tamen habetur, perstrepente armorum turbine an. 1542. solo tenuis aequatum fuisse, ne ullo quidem eiusdem vestigio relicto. Verum Oppidani, qui singulari studio Pauperes Francisci Filios prosequerentur, locum pro novo Asceterio intra Oppidi septa construendo ultro dedere. Inibi igitur Ecclesiam sub titulo S. Mariae Angelorum, aequae ac Conventum a duodenis saltem Fratribus incolendum adorsi sunt Observantes, atque incolis opes suas largissime certatim erogantibus, utrumque an. 1547. numeris omnibus absolvere potuerunt. —

Verum an. 1625. Ecclesia, quae, referente Britio, omni ex parte venustatem, iuxta ac maiestatem redolebat, corruit, inoffenso tamen lapsu. Dehinc Oppidanorum, et maxime Excellentissimi D. Ioan. Iacobi ex nobilissima Ferraria Gente prognati, Cismontanae Camerae Praesidis, opibus brevi restaurata fuit, geminis quoque elegantissimis Sacellis hinc inde extractis. At vero eadem Ecclesia nec non Sacella an. 1671. denuo corruiere, quae sedula P. Pauli Francisci a Monteforti, et incolarum subsidiis in omnibus resecta iam visebantur an. 1680. —

Perdolendum nunc est, quod post dira fata reviviscens D. Thomae Provincia, hoc Villaenovae Coenobium, quo ab ipsa sua erectione iam potiebatur, haud amplius nacta fuerit.

XII.

CONVENTUS

S. MARIE LAURETANÆ

IN OPPIDO SINFREDI.

Seraphica Minorum Familia, quae ubivis gentium nullo non aevo sobolevit, in Oppido etiam Sinfredi Archidioecesis Taurinensis gratissimum domicilium anno a Dominica Incarnatione 1611. auspicata est, munifica Clarissimae Isnardorum Familiae ex pervetusta Castellorum Astensi Gente promanantis liberalitate. Aderat enim in eminentis collis iugo, vix unius milliarii ab Oppido intervallo, Aedicula Divinae Parenti dicata, quam ad instar Lauretanae eadem Isnardorum Gens construendam curaverat ad an. Christi 1585; cumque sacrum illud Delubrum habitatoribus careret, qui peculiarem eiusdem curam gererent, ac Virginis Sospitricis cultui consulerent, e re maxime fore visum est Carolo Isnardo loci Comiti, Franciscales Alumnos accire, eosque precari, ut praefatam Aedem acceptam habere dignarentur. Pientissimi Comitis votis annuerunt S. Didaci Provinciae Moderatores, qui, habito inter se consilio in Provincialibus Comitibus in Conventu S. Mariae Casellarum Kal. Feb. an. 1610. celebratis, sacram illam Aediculam acceptandam decrevere. Hinc impetrata Clementis VIII. Sum. Pont., nec non Caroli Emanuelis I. Sabaudiae Ducis facultate, Coenobium decem saltem Fratres excipiendi capax e fundamentis excitatum fuit. Mox Conventum, et Ecclesiam an. 1642. pariete circumcinxit P. Franciscus Isnardus. — An. vero 1672. Conventum et Ecclesiam Benefactorum largitionibus in commodiorem, elegantioreque formam Fratres redegerunt. Demum an. 1685. novum Claustrum et Dormitorium e fundamentis excitarunt, brevique perfecerunt. Hoc Coenobium, quod ex Provincia S. Didaci huic D. Thomae accessit an. 1622. idem quod cetera fatum subiit, Napoleone I. imperante.

CONVENTUS

AD S. FRANCISCUM ASSISIATEM

SANCTAE AGATHAE.

Inter plurima insignia, quae in longe, lateque patente Agro Vercellensi passim occurrunt Oppida, illud equidem recensendum est, quod a S. Agatha nuncupatur, medio ferme itinere sedens Vercellas inter et Eporediam Civitates. De hocce Oppido, quod remotissima antiquitate merito superbit, verba faciunt vel prisci Scriptores (1), atque a Romanis rerum summa potentibus *Vicus viae longae* cognominatum fuit, ac *Mansionis* privilegio auctum. —

Hoc in Oppido, quod in Sabaudiae Ducum potestatem an. 1373. transiit, ac in spiritualibus Vercellarum Antistitis iurisdictioni subiacet, iam a remotis temporibus Franciscalium extitisse Coenobium, historica monumenta testantur. Praeter Britium enim, et Gonzagam (2), in Theatro Statuum R. Cels. Sabaudiae Ducis haec leguntur: — *Aderat non longe ab eiusdem Oppidi moenibus elegans Minorum de Observantia Coenobium, Religiosorum numero, Templi D. Francisco dicati nitore, locique hortis, nemoribusque iucundis consiti amoenitate omnino visendum. Verum cum furentibus avorum nostrorum aeo inter Gallos, atque Hispanos, Martialibus odiis, solo aequatum esset, anno scilicet 1557. aliud intra Oppidi septa, situ tamen angustiore, minorisque Monachorum numeri capace, Incolae aedificarunt* — (3) an. Christi 1562. Pio IV. Pont. Max. annuente. — Novum hoc domicilium, licet veteri tria complectenti venustissima Claustra longe concederet, haud tamen commoditate, atque pulcritudine carebat. Item Templum sub eodem, quo prius Divi P. Francisci titulo constructum elegantia, venustateque pari emicabat, pretiosa etiam supellectile ab incolarum largitate satius locupletatum. Hoc S. Agathae Coenobium incoluere Observantes Provinciae Mediolanensis primum, dein D. Thomae Apostoli usque ad an. 1802. — Nunc vero visitur eo loci Oppidi Nosocomium, quod ex regio Victorii Emanuelis I. diplomate die 11. Feb. 1817. dato extractum fuit.

(1) Videsis Cl. Iacobum Durandi a S. Agatha — *Dell'antica condizione del Vercellese, e dell'antico Borgo di Sentià.* — Vol. in 4^o, Torino 1766.

(2) Britius — *Seraphica Monumenta etc.* pag. 139 — Gonzaga — *De origine Seraphicae Religionis* pag. 351.

(3) Opere citat. Part. 2. pag. 137.

XIV.

CONVENTUS

S. MARIÆ GRATIARUM VULGO PRATORUM

FONTANETI.

Extra Fontaneti Vercell. Archidioeceseos Oppidi septa Aedicula Divinae Parenti sacra extabat, in qua venustissima eiusdem Sospitatricis Virginis Imago aderat iugi fidelium venerationi patens; ad eam quippe undique confluebant quicumque vel aegra valetudine laborabant, vel premebantur angustiis, nec illinc discedebant nisi voti compotes facti. Interea Oppidani sapientissimo ducti consilio, tum ut Deiparae cultum pro viribus promoverent, tum ut fidelium illuc confluentium spiritualibus subsidiis satius consulere, Minores de Observantia Fratres sacro illi Delubro praeficiendos decrevere. Facultate itaque a Clemente VIII. Pont. Max. impetrata, nec non Mantuae, ac Montis-ferrati Duce, cui Fontanetum ea tempestate parebat, indulgente, Franciscas Alumni triumphali Oppidanorum plausu, et gratulatione illam Virginis Aedem auspicati sunt anno 1600. — Mox vero qua privatis, qua publicis incolarum opibus Coenobium e solo excitatum fuit. Ast quia nimia premebantur Fratres angustia commodioris, et amplioris aedificii fundamenta iecerunt, quin tamen prae bellorum procella iterato circumstrepente absolvere potuerint. — Tandem, quod omnium erat in votis, faventibus superis, largissimisque piorum eleemosynis, opere complevit an. 1683. P. Angelus Franciscus Roselli a Bennis. Hoc Coenobium, quod duodenis Religiosis S. Didaci primum, dehinc Divi Thomae Provinciae (1) gratissimum praebebat domicilium, habitatoribus desertum evasit an. 1802., quin amplius restauraretur.

(1) Fontaneti Conventu potita est Divi Thomae Provincia vel ab ipsa sua institutione, an. 1622.

CONVENTUS

S. MARIAE ANGELORUM

BUSCHAE.

Busca celebris quondam eiusdem nominis Marchionatus caput exigua in planitie sedet ad laevam Macrae fluvii ripam, a quo Vallis, per quam ad Alpes Marittimas accessus patet, nomen accipit. Primus huiusce Marchiae dominium tenuit anno 1142. Guillelmus Bonifacii Savonae, Vastique Marchionis secundo loco genitus, in eiusdemque progeniem dominatus postea transiit. Ast duo circiter post saecula quibus, fortuna tam saepe variante, Buschense Oppidum Marchionatus sedes fuit, Sabaudiae Principibus accessit anno 1562., ac postmodum a Carolo Emanuele III. Civitatis titulo auctum fuit an. 1762. — In spiritualibus autem Salutiensi Episcopo paret.

Extra, sed prope huiusce Oppidi septa, peramoeno, ac saluberrimo in loco Coenobium et Ecclesiam ex Innocentii VIII. Sum. Pont. auctoritate auspiciati sunt Observantes an. 1490., et qua publicis, qua privatis opibus brevi triennali spatio opus absolverunt. Templum peramplum, et venustissimum sub invocatione B. M. V. Angelorum ritu solemni consecravit decimo septimo Kalendas Maias an. 1509. Bernardinus Vacha de Salutiis Ascalonensis Episcopus. Duodena, eaque admodum elegantia in eo visebantur Sacella plurium Nobilium Familiarum liberalitatem ostendantia, inter quae duo potissimum praestabant, Sanctissimo Rosario, Divoque ab Assisio Francisco sacra, a Christifidelibus maxime culta, nec non ab eorumdem Sodalitiorum Confratribus egregie decorata. Conventus vero vicenorum Fratrum capax maximum nactus fuit incrementum ex peculiari PP. Paschalis Codretti a Cespitello, et Ioannis Baptistae a Caballario-Maiori solertia. Enimvero nedum undique restauratus, sed viridariis quoque, vinetis, feracibusque hortulis muro circumseptis locupletatus fuit. Anno porro 1729. sacer Recessus inibi instituebatur, quo Religiosiores sese recipiebant severioris, sanctiorisque vitae desiderio flagrantes: neque facile dixeris, qua alacritate evangelicae perfectionis tramitem certatim Fratres sequerentur. Nonnulli enim regularis disciplinae rigidi custodes, omniumque virtutum solertissimi cultores facti cum sanctitatis nota obiere (1). Ast proh dolor! huiusce Coenobii, quod D. Thomae

Provincia vel ab ipsa sua erectione nacta fuerat, nullum vestigium hodie superest. Nam post universalem Religiosorum dispersionem dirutum fuit, atque in ipsius loco profanum aedificium, et herbarium hortum nunc reperis.

(1) Ex iis, qui virtutibus, ac meritis illuxerunt in Sacro Buschensi Recessu memoratu digni sunt:

1^o P. Ioseph Hieronymus Gastaldi a Cuneo, Lect. Iub. vir doctrina clarus, in Sicilia iam Commissarius Visitator, atque Eugenii Sabaudiae Principis a Confessionibus. Is primus fuit huiusce Recessus Coenobiarcha, ac meritis plenus obiit an. 1730., cui universus Buschensis Clerus parentavit.

2^o P. Telesphorus Bertolini a Montealto.

3^o P. Ioseph Antonius Provana, qui posteaquam Buschae Recessum eximiis virtutibus aliquot annis illustravit, in alium Vigoni Recessum se recepit, ibique monastica observantia, regularique perfectione insignis ad usque vitae finem commoratus est. Obit die 7. Decem. an. 1745., eiusque corpus ex Sacrae Congregationis consulto seorsim a communi Fratrum tumulo conditum fuit. —

4^o Fr. Antonius a Carmaniola, qui pluribus virtutibus emicuit, Deoque spiritum reddidit die 9. Octobris 1741. —

5^o Demum aliis missis, F. Ugolinus Oliveri a Summaripa-Nemoris, de quo suo loco. Prostabat quoque in Conventus dormitorio B. V. Imago, quae, uti fertur, Ven. Fratrem Ugolinum allocuta est. Pretiosam hanc effigiem post Fratrum dispersionem acquisivit Illus. Comes Vincentius Bruno a S. Georgio, Eques Mauritanus, Taurinensis Universitatis iam Reformato, qui nuperrime Observantibus Conventus S. Angeli Mediolanensis ultro eam dedit, ac etiam Altare construendum aere proprio curavit, in quo eadem Imago visitur, et maxima fidelium veneratione colitur.

XVI.

CONVENTUS

B. V. AB ANGELO SALUTATÆ

VIGONI.

Inter plura, quæ Pedemontium locupletatur, Oppida, quæ maxime præstat Vigonum, quod feracissima in planitie, sexto circiter a Pinarolio milliaro Euronotum versus sedet. Populosum hoc Oppidum, celebri Abbatie Sancti Iusti de Segusio quondam in omnibus subiectebatur, nunc vero Archidioecesi Taurinensi in spiritualibus paret. Paulo ab hoc Oppido remotiori quidem, sed opportunissimo in loco Coenobium sub auspiciis B. V. ab Angelo Salutatae Beatus Ioannes Demosthenes Ranzus Vercellensis, de quo infra, adorsus est anno salutis 1495., facultate ab Alexandro VI. Pont. Max. impetrata, nec non Carolo II. Sabaudiae Duce ultro annuente. Huic operi perficiendo tum Oppidani, tum etiam, uti fama est, Serenissimi Sabaudiae Principes pro viribus suppetiati sunt. Quocirca nihil in eo, quod Religiosorum commoditatem, Deique cultum decebat, desiderandum supererat. Conventus quippe triginta Fratres excipiendi capax commodis cellulis, venusto Claustro, domesticis officinis, feracique horto constabat; Ecclesia vero elegantiam, maiestatemque redolebat, pulcherrimis Iconibus, ornatis-
simisque Sacellis locupletata. Hinc est, quod sapientissimo consilio ducti Provinciae Patres pro sacro Recessu, et pro Philosophiæ studio hoc Vigoni Coenobium aliquando designarunt, in quo Religiosi pietate, doctrinaque præstantes illuxerunt. Ast post Generalem Ordinum suppressionem dirutum pene fuit, ac ad profanos usus redactum, vixque in præsentiarum aliquod ipsius est reperire vestigium.

XVII.

CONVENTUS

AD SANCTUM ANTONIUM ABBATEM

CLARASCI.

Clarascum ex Sabaudiae Ducum privilegio Civitatis titulo merito iam decoratum, illic situm est, ubi Tanarus, et Sturia mixtis inter se aquis confluent, veterisque Pollentiae, Romanorum Coloniae, reliquias aluunt. — Haec Urbs quippe quae ad hostium impetus compescendos opportunissimo in loco sita, munitissima olim erat, cuius munitiones tamen partim sub finem saeculi decimi septimi, partim vero sub initium aevi nostri penitus eversae fuere. Clarasci nomen illustratur etiam quammaxime propter inita ibi inter Christianos Principes pacis foedera an. 1631., Victorio Amedeo I. Sabaudiae Duce interveniente. —

Vix lapidis iactu ab huiusce Urbis moenibus Coenobium sub Divi Patris Francisci auspiciis olim floruisse ex veterum traditione colligitur, quod tamen saeviens Martis rabies solo tenuis aequavit anno iuxta Britium 1555. (1); sed verius forsitan, quemadmodum ex aliis documentis constat, an. 1557., in secunda scilicet Clarasci obsidione. Fratres igitur domicilio privati alio migravere, atque ab hac Urbe extorres fuere usque ad annum 1621; quo Municipales Observantes revocandos decrevere, eisque Templum Divo Antonio Magno dicatum, Sacra Ss. Mauritii et Lazari Religione, ad quam illud pertinebat, ultro annuente, concessere. Fratres interim iuxta eandem Ecclesiam novum habitaculum an. 1624. auspicati sunt, quod Civium subsidio, solertique PP. Ludovici Guerilli a Pinarolio, et Paschalis a Cespitello cura absolutum fuit, duodenos saltem Religiosos commode capiens. Anno porro 1642. novi Chori, Sacrarii, ac amplioris Dormitorii fundamenta iacta fuere, quae omnia piorum eleemosynis perfecta sunt. Hoc Coenobium, in quo domesticum Philosophiae gymnasium habebatur, incoluere Observantes usque ad an. 1802; neque amplius restauratum fuit.

(1) Britius — Seraphica Subalpinae Prov. Monumenta — pag. 108.

XVIII.

CONVENTUS

S. MARIÆ GRATIARUM

BERINSONAE.

Berinsona, alias Belitio, Urbs est Insubriae ad laevam Ticini fluvii oram haud procul ab eiusdem ostio in Lacum Verbanum sita. — Ad Mediolanensem Ducatum haec Urbs olim spectabat; nunc vero ad Helveticam attinet Rempublicam, atque inter Metrocomias illius Helveticae Ditionis partis, quae a Ticino nuncupatur, recensetur. In spiritualibus vero Antistiti Novocomensi paret. —

Prope huiusce Urbis septa Minores Observantes Mediolanensis Provinciae an. 1495. adorsi sunt Coenobium sub auspiciis B. M. V. Gratiarum, quod Berinsonensium oblationibus numeris omnibus absolvere facillime potuerunt. Ecclesiam sex pulcherrimis Sacellis decoratam Reverendissimus Iulius Golardo Salodiensis Episcopus, atque Novariensis Antistiti a suffragiis sacro solemnique ritu dicavit die 5. Septemb. an. 1505., eamque Sanctorum Iypsanis ditavit. Hoc Coenobium omni ex parte perfectum, ac viginti quinque Fratrum capax incolere Observantes Mediolanensis Prov. usque ad an. 1783., quo huic Divi Thomae Apostoli accessit, ac a ceterorum iactura, Napoleone I. imperante, evasis incolume, in eoque pacifice commorati sunt Religiosi. Vix porro D. Thomae Provincia post dira fata revixit, Berinsonae Conventum iterum nacta est. Verum an. 1848. die 20. Iul. Helveticae Reipublicae Decreto Fratres exulare coacti sunt.

XIX.

CONVENTUS

SANCTÆ MARIÆ GRATIARUM

BURGOMANERII.

Burgomanerium satis populosum Novariae Dioecesis Oppidum aequali in planitie ad Septentrionalem eiusdem Urbis plagam sedet. Haud longe ab ipso elatiores colliculi assurgunt, qui solerti incolarum manu consiti, ubertate inter se certare videntur. Hoc Oppidum, cuius primordia ad saeculum decimum referuntur, ceteris aliis Novariensis Provinciae praestantius, et insignius Mediolanensium Dominorum, quibus olim parebat, decreto habitum, et declaratum fuit (1), cuius facti ut perennis extaret memoria, Oppidani Statuam B. M. V. sine labe conceptae in ipso plateae principis meditullio erigendam curavere; quae hodieque visitur. —

In hoc Oppido Minorum de Observantia Coenobium extabat anno salutis 1587. excitatum, quod ad Mediolanensem Ordinis Provinciam pertinebat, et anno 1783. una cum aliis quinque huic Divi Thomae Provinciae accessit. Hoc Coenobium quindecim Fratres excipiendi capax incoluere Observantes usque ad an. 1802. Dehinc Fratribus desertum, veniique expositum ad alios usus redactum fuit.

(1) Hoc decretum datum fuit Mediolani die 18. Februarii an. 1672. —

CONVENTUS

AD SANCTUM BERNARDINUM SENENSEM

MORTARIAE.

Totius feracissimae illius Provinciae, quae Laumellina vocitatur, caput est Mortaria ad torrentem Gognam sita. Hanc Urbem, quae Sylva pulchra olim nuncupabatur, Mortariam dictam fuisse ob Longobardorum caedem a Magni Caroli exercitu factam, Desiderio ipsorum Rege etiam capto, nonnulli scriptores referunt; quibus tamen adversantur melioris notae historici, luculentissime probantes, Desiderium Longobardorum Regem non Mortariae, sed Papiae a Carolo Imperatore fuisse caesum, regnumque amisisse. Varias retro saeculis vicissitudines Mortaria subiit, donec, pace ad Pyraeneos an. 1658. sancita, Mediolanensi Ducatui restituta fuit. Tandem ex Vormaciensi foedere an. 1745. inito, Regi Carolo Emanuele III. accessit. —

In hac Urbe igitur, an. 1447. ineunte, Observantes Mediolanensis Provinciae, facultate a Nicolao V. Pont. Max. impetrata, Coenobium sub titulo S. Bernardini Senensis auspicati sunt, quod qua privatis, qua publicis sumptibus brevi temporis spatio numeris omnibus absolutum fuit, adeo ut, Gonzaga teste, magnitudine, amoenitate et pulchritudine plurima alia eiusdem Provinciae habitacula superaret (1). Verum perstrepente bellorum turbine, maiori ex parte dirutum fuit an. 1559. — Mox Fratrum cura, piorumque collationibus fuit restauratum. Dehinc an. 1783. ex Mediolanensi Provincia huic Taurinensi Divi Thomae Apostoli accessit, ibique commorati sunt Fratres usque ad generalem Ordinum abolitionem. Nunc autem vix nonnulla eiusdem vestigia visuntur.

(1) Gonzaga — *Seconda Part. pag. 348.*

XXI.

CONVENTUS

S. FRANCISCI ASSISIATIS

TRECATI.

Cum ex frequentibus concionibus, quas Franciscuales Alumni, ac potissimum B. Pater Pacificus a Cerano ad Pagorum iuxta Ticini fluvii oram existentium habitatores, ingenti cum animarum lucro habuere, singulari in eosdem Fratres studio afficerentur populi; hinc etiam Trecati, quod Novariensis Dioecesis Ticinum versus insigne Oppidum est, incolae utilitati suae prospicientes Coenobium pro Observantibus moliri meditati sunt, quatenus spiritualibus bonis, quae ex eorum consuetudine promanabant, uberius fruerentur. Aderat igitur intra Oppidi septa exiguum S. Barbarae Monasterium ab Humiliatis Sororibus prius inhabitatum, et postea derelictum, quod Trecatenses per Franciscum Vimercatum coëmerunt; dehinc R.^{mum} P. Franciscum Lichettum totius Ordinis iam Moderatorem illac transeuntem enixe precati sunt, ut illud acceptum habere dignaretur. Postulatis annuit praefatus Pater, eoque sex Fratres Mediolanensis Provinciae illico missi sunt, qui Conventum sub Seraphici Patriarchae titulo auspiciati sunt circa an. 1520. (1). Hoc Coenobium licet paulo exiguum, sex quippe Fratres dumtaxat capere poterat, cominoditate tamen, atque venustate minime carebat. Mox an. 1785. huic Divi Thomae Provinciae incorporatum fuit, ibique Fratres incoluere usque ad an. 1802. Subinde ad alios usus redigebatur. Ecclesia vero quae sub Divi Francisci titulo adhuc nunc visitur, loci Paroeciae a subsidiis est.

(1) Ex Gonzaga — In Prov. Med. Convent. 32. — Ex Wadding. Tom. 16. pag. 100. parag. 44.



CONVENTUS

SANCTI AB ASSISIO FRANCISCI

BOBII.

Editissimos inter montes, quibus regii Pedemontanae Ditionis fines a Placentiae terminis orientem Solem versus distinguuntur, exigua equidem, sed pulcherrima in valle Bobium sedet. Pervetusta haec Urbs Episcopalibus insignibus decorata, eiusdemque nominis Provinciae caput est, atque a Trebia flumine alluitur. Adhuc in ea visitur celeberrimum Asceterium a S. Augustini Alumnis olim inhabitatum sub titulo S. Columbani, ab eodem sub finem saeculi sexti fundatum, in quo prae aliis ornamentis praeclaris maxime praestabat Bibliotheca pluribus librorum millibus, pretiosisque vetustis manuscriptis locupletata, quorum partim in Regia Taurinensi Universitate, partim in Ambrosiana, partim demum in Vaticana Bibliotheca nunc reperiuntur.

Extra huiusce Urbis moenia iam ab antiquis temporibus extabat Minorum Conventus, quem Ordinis scriptores ex non dubiis monumentis eidem Seraphico Patri Francisco coevum asserunt (1). Hic Conventus Divo Patri Francisco dicatus a duodenis Fratribus ut plurimum incolebatur, atque ad Bononiensem Ordinis Provinciam spectabat. Ast anno 1783. huic Divi Thomae Apostoli accessit, in eoque Fratres habitavere, spiritualia pro temporalibus subsidia Civibus sedulo praestantes, usque ad annum 1802.

(1) Vid. Gonzaga — Part. 2. pag. 268.

II
DE MONASTERIIS SANCTIMONIALIUM
MONASTERIUM
HUIC DIVI THOMAE APOSTOLI PROVINCIAE
SUB INVOCATIONE S. CLARAE
OLIM SUBIECTIS.

Quae ad Fratrum domicilia pertinent, utcumque persolutis, reliquum est, ut Sanctimonialium Monasteria sub huiusce Provinciae regimine olim degentia subnectemus; de quibus tamen vix perfunctorie dicemus.

MONASTERIUM
SANCTISSIMI NOMINIS IESU
ASTAE.

Anno salutis 1526., facultate a Clemente VII. impetrata, Monasterium sub Regula Sanctae Matris Clarae Astae excitatum fuit. Praecipuae huiusce Monasterii Fundatrices fuere quatuor insignes puellae ex nobili familia Guttuaria prognatae, quae parentum opibus, piorumque eleemosynis eiusdem molitionem auspicate sunt. Quo numeris omnibus absoluto, P. Ludovicus a Publiciis Subalpinae Provinciae Minister septem ab Alexandriae Monasterio Vestales eduxit, quas inter Ven. Leona Laiola Abbatissa, de qua suo loco dicemus, easque novo in Astensi Monasterio collocavit, quatenus Guttuariae Sorores Fundatrices, aliasque puellas cum Christo nuptias inire cupientes, religiosae vitae institutis imbuerent. Quam mirifice regularum omnium a S. Francisco, eiusque discipula Clara traditarum observantia in hocce Monasterio nullo non tempore floruerit, fusiori calamo Britius refert. Hoc Monasterium tum numero Sacrarum Virginum, quae ut plurimum quadraginta numerabantur, tum etiam earundem vitae sanctimonia celebre fuit usque ad annum 1802. — In praesentiarum autem illud milites incolunt.

DE MONASTERIIS SANCTIMONIALIUM
MONASTERIUM
 HUIC DIVI THOMAE APOSTOLI PROVINCIAR
SUB INVOCATIONE S. CLARAE
 OLIM SUBJECTIS

MONTIS-REGALIS.

Quae ad Fratrum domicilia pertinent, utcumque persolutis, reliquum
 est, ut Sanctimonialium Monasteria sub huiusce Provinciae regimine
 olim dependentia subnectamus; de quibus tamen eia perfunctorie dicimus.

Huiusce Monasterii fundamenta Civium pietas iecit anno a Dominica Incarnatione 1550., facultate a Ioanne XXII. Pont. Max. prius impetrata. Mox vero admodum ampliatum, in commodioremque formam redactum fuit, subsidio potissimum haereditatis Eminentissimi Cardinalis Cevae eius Sorori in eodem Monasterio professae sanguinis iure provenientis; eo ut sive prae loci pulchritudine, utpote in superiori Urbis parte situm, sive prae structurae elegantia inter celebriora Civitatis Asceteria merito recenseretur. Huic Monasterio illud aliud incorporatum fuisse censetur, quod in altero ex Civitatis Suburbis olim exstabat, a Sororibus Tertii Ordinis inhabitatum, de quo Britius, et Waddingus verba faciunt (1). Inibi Moniales sub Fratrum de Observantia regimine incoluere usque ad annum 1802.

(1) Britius — Monumenta Seraphica etc. pag. 235. — Wad. tom. 12. pag. 234.

III.

MONASTERIUM

SANCTAE CLARAE SAVILIANI.

Extabat olim in Civitatis Suburbio Meridiem versus insigne Clarissarum Monasterium anno 1498. aedificatum, cuius maiorem partem praepotentis Martis saevitia diruit anno 1536., sacris illis Vestalibus in alia Urbis Monasteria migrantibus; quae tamen, Ecclesia et Claustro paulo post in pristinam formam redactis, ad proprias sedes remeant. Verum anno 1640., bellorum turbine iterum perstreperente, Monasterium dirutum fuit, ac nova molitione aliud intra Urbis septa sub eodem, quo prius, S. Matris Clarae titulo fuit constructum, quod laetabundae illae Christi Sponsae ingressae sunt meliora sibi ominantes fata. Hoc Monasterium pacifice incoluere Clarissae Virgines, toto cordis affectu Christo famulantes usque ad annum 1802. — Nunc autem sacrum illud habitaculum ad profanos usus fuit redactum.

IV.

MONASTERIUM

S. CLARÆ GATTINARIÆ.

Mercurinus ex Nobilissima Gente Arborea de Gattinaria prognatus, vir multis honoribus, rarissimisque dignitatibus insignibus decoratus, nec non ad Purpurae fastigium eVectus Monasterium sub Sanctae Clarae auspiciis Gattinariae construendum curavit, quod tamen nonnisi post ipsius fatum absolutum fuit an. 1529. Ast puellae Virgines eo degentes solemnibus minime obstringebantur votis, eo ut quoties libitum illis foret, habitum dimittere, ac etiam ad nuptias transire possent. Mox vero Lucretia Arborea pii Fundatoris soror, e Vercellensi S. Clarae Monasterio, Sede Apostolica annuente, egressa illis Virginibus praefecta fuit, quae sub S. Matris Clarae auspiciis et Regula easdem instituit, atque enutrivit. Dehinc cura Fratrum de Observantia commissa fuit, ut easdem regerent, earumque conscientiam moderarentur, quod sedulo ipsi praestitere, donec Monasterium an 1802. suppressum fuit.

MONASTERIUM

SANCTISSIMÆ TRINITATIS

TRIDINI.

Iam a remotioribus temporibus Sorores Tertii Ordinis S. Patris Francisci domum incolebant intra Urbis septa constitutam, de cuius fundatione nihil certi affirmari potest. Illud tamen compertum habetur, Franciscuales illas Alumnae an. 1492. Sanctae Clarae Regulam amplexatas fuisse, atque curae ac regimini Fratrum Minorum de Observantia se ipsas credidisse. Sanctimoniales illae, quarum numerus quadragenarius quandoque fuit, regulari observantia, vitaeque sanctimonia Deo inservientes, ac sublimiora in diem charismata aemulantes Tridinense Monasterium inhabitaverunt usque ad an. 1802. — Nunc ibi commorantur Tertii Ordinis S. Dominici Alumnae.

VI.

MONASTERIUM

SANCTISSIMÆ TRINITATIS

AD SANCTAM CLARAM

BOBII.

Aderat in Urbe Bobiensi domus, seu Monasterium sub auspiciis Sanctae Clarae, ubi Sorores debebant Tertium S. Patris Francisci Ordinem profitentes, quae cum extra Monasterii septa pro lubitu exire possent, supplices literas an. 1459. Pio II. Pont. Max. dederunt, ut sub arctissima clausura in posterum vivere sibi concedere dignaretur. Voti compotes factae quod ex Pontificis indulgentia obtinere, mordicus quoque observarunt. Postmodum Paulus II. Pont. Max. gratias, ac privilegia omnia, quibus Sorores Clarissae uti consueverant, eisdem quoque largitus est an. 1465. — Interim sub vigili Fratrum Minorum cura Sacrae illae Vestales degentes,

DE VIRIS ILLUSTRIBUS
AD HANC DIVI THOMÆ APOSTOLI PROVINCIAM

QUOMODOLIBET SPECTANTIBUS.

Nihil mehercule Seraphici Ordinis cultoribus antiquius fore censemus, quam eos dignoscere Viros praeclaros, qui vitae sanctimonia, doctrina, dignitatibus, atque honoribus conspicui pauperrimae Francisci Familiae magno splendori fuere, atque decori. Quapropter Conventuum Subalpinae huiusce Provinciae descriptioni pretium videtur operis, eorum omnium subtexere catalogum Virorum qui eandem mirifice illustrarunt. Ac in primis de Beatis Martyribus, Confessoribus, atque Virginibus, iisque omnibus, qui cum aliquali sanctitatis fama ex hac vita migrarunt, sermo erit; dehinc illos, qui scientia, vel dignitatibus emicuerunt, subnectemus. Lectores tamen praemonitos heic volumus, quod si in hac Virorum Illustrium serie quosdam offenderint, qui vel ante huiusce Provinciae erectionem floruerunt, vel ad alias Ordinis Provincias spectare potius videntur, sciant, illos ideo recenseri, quia sive ortu, sive incolatu, sive dignitate, sive demum obitu Subalpinas Regiones illustrarunt; ac proinde ad hanc Provinciam eosdem aliquo iure spectare duximus. —

CATALOGUS

BEATORUM MARTYRUM, CONFESSORUM, AC VIRGINUM

HUIUSCE PROVINCIAE.

1. B. ALEXANDER ab Alexandria Statyellorum Confessor, scientia vitaeque sanctimonia conspicuus, qui mundi illecebras exosus, ac Ordinem Minorum ingressus, brevi omnium virtutum specimen evasis. Christi patientis historiam pia meditatione recolendi studio flagrans Terrae Sanctae loca petiit: Sacri Montis Sion Coenobii Guardianus extitit; ac post multos pro Christo, et animarum salute exantlatos labores ad Superos evolavit Alexandriae in Aegypto XII. Kal. Martii anno 1478. —

2. B. ALEXANDER Mediolanensis Confessor, qui inter Minores de Observantia cooptatus maximis virtutibus excelluit, meritisque plenus ex hac vita migravit septimo Id. Sept. anno 1505. in Conventu S. Mariae Gratiarum Cherii, ibique conditus fuit. Mox cum Fratres ad alium S. Georgii Conventum intra urbis septa constitutum transmigrassent, eiusdem quoque Beati corpus translatum fuit, ac in Sacello S. Didaci honorifice reconditum. Quanti meriti apud Deum extiterit Beatus hic Vir, ex eo conicere fas est, quod cum quidam latrunculi eius exuvias suffurari vellent, illico paralysi correpti fuere. —

Ex Arturo pag. 436. — Ex Massa tom. 2. pag. 118. — Ex Gonzaga — De origine Seraphicae Religionis — pag. 332.

3. B. ALBERTUS MORIGIUS a Palantia Confessor, qui Seraphicae militiae adscriptus, religiosae vitae perfectione maxime claruit. Concionator fuit eximius, et animarum zelo flagrantissimus. — Obiit in Conventu S. Angeli Mediolani sexto Kal. Iulii 1448. —

Ex Arturo pag. 275. — Ex Waddingo tom. 12. pag. 2. — Ex Massa tom. 1. pag. 283.

4. B. ANDREAS ROBERTUS a Barcinona in Nicaensi Comitatu, qui Minorum Ordinem ingressus ob eximias, quibus emicabat, virtutes, omnibus admirationi fuit. Maxima potissimum in Divinam Parentem exardescere pietate ac devotione. Ea quoque inerat in eo humilitas, ut licet ingenio, doctrinaque praestans, in humili tamen Laicorum gradu manere maluerit. Cum porro Missionariis eiusdem Ordinis contra haereticos Calvinistas in Galliam missis comes foret, a furentibus haereticis ad necem impetitus gloriose pro Christi fide occubuit quarto Idus Octobris anno 1567. —

Ex Arturo pag. 502. — Ex Gonzaga 3. part. in Conv. Prov. S. Ludovici. — Ex Massa vol. 2. pag. 174.

5. B. ANGELUS CARLETTI a Clavasio Confessor, sanguine clarus, sed virtute clarior. Adhuc adolescens magna portendere visus est, pietatem quippe vere singularem, morumque innocentiam scientiarum studio mirifice coniunxit. Sacrae Theologiae, utriusque Iuris laurea Bononiae donatus fuit; mox Senatoriam dignitatem in Montis-ferrati Provincia adeptus est. Verum mundi periculorum pertaesus, ac ad altiora vocatus Seraphicae militiae adscribi petiit, ac nedum Ordini, verum etiam toti Christianae Reipublicae dictis, factis, et scriptis mirum in modum profuit. Cum enim in divinis literis summopere exercitatus, ingenii acie praestans, dicendi robore conspicuus, vitae sanctimonia celebris, uno verbo, moribus aequae ac nomine vere Angelus foret, omnibus proinde acceptissimus evasit, ac a Principibus, Summisque Pontificibus maximo in honore habitus fuit. Hinc merito primum in Iannuensi Provincia Minister electus, mox in tota Cismontana Observ. Familia quartus Vicarius Generalis renuntiatus fuit. Hinc etiam Carolus I. Sabaudiae Dux illius sanctitate, atque doctrina permotus conscientiae suae moderatorem eum elegit; — Sixtus hoc nomine Quartus ad evulgandum Cruciatæ foedus contra Turcas, et Innocentius Octavus contra Valdenses hereticos Nuntium et Commissarium Apostolicum delegarunt. Tandem permultis pro Christo, et animarum salute exantlatis laboribus, senioque confectus in Cuneensi Ordinis Coenobio sancto fine quievit tertio Idus Aprilis anni 1495., ibique honorifice conditus fuit, ac ab omnibus statim coli coepit. Quem cultum ab immemorabili tempore eidem praestitum Benedictus XIV. Pont. Max. rite probavit die 25. Aprilis anni 1753. —

Ex Arturo pag. 160. — Ex Wad. tom. 6. pag. 302. — tom. 13. pag. 400. — tom. 14. pag. 5. — tom. 15. pag. 95. — tom. 16. pag. 104.

6. BB. ANGELA a Casali Monte-ferrato, et PAULA ASTERIA a Vercellis, quae in Clarissarum Vercellensi Monasterio religiosa perfectione, vitaeque austeritate emicuerunt. Ipsae meliora charismata una simul aemulantes in terris ad coelestem Sponsam eodem anno 1564. evolarunt, incerta tamen die. —

Ex Massa vol. 1. pag. 79. — vol. 2. pag. 48.

7. VEN. ANGELA RANZA Vercellensis Beati Candidi soror germana, quae Sanctae Clarae in patrio Monasterio Institutum professa, meritis ac virtutibus celebris fuit, miraculisque in vita et post obitum claruit, quemadmodum Baldessanus refert. Obiit an. 1492, incerta die.

Ex Guill. Baldess. lib. 1. hist. de Beatis Pedemont. — Ex Waddingo tom. 13. pag. 27. parag. 4.

8. B. ANSELMUS DE ANSELMIS Confessor a Viglevano, Seraphici Ordinis ornamentum, et decus praeclarum, qui ingenti vitae perfectione conspicuus, ac monasticae disciplinae custos vigilantissimus fuit. Tandem meritis plenus in patria excessit e vita Kal. Aprilis, incerto tamen anno.

Ex Massa vol. 2. pag. 261.

9. B. ANTONIUS Vercellensis ex nobilissima Gente Balochia progenitus, vir pietate, doctrinaque clarissimus. Concionator extitit eximius, ac sermones vulgavit de duodecim Christianae Fidei Mysteriis, aliosque mira eruditione refertos libros conscripsit. Mediolanensem Provinciam vicaria potestate sanctissime rexit, ac meritis conspicuus Orbitelli, quo ad exortos tumultus compescendos perrexerat, animam Deo reddidit decimo Kal. Octob. an. 1483. —

Ex Arturo pag. 466. — Ex Waddingo tom. 1. ad an. 1483.

Ex Gonzaga part. 1. — Ex Massa tom. 2. pag. 144.

10. B. ANTONIUS a Cremona Confessor, nobili genere clarus, sed virtutibus, ac religione longe clarior, quippe saeculi vanitatibus valedicens Minorum Ordinem ingressus est, ac meliora in dies charismata aemulatus religiosae perfectionis apicem attingit, tantoque in Deum aestuabat amore, ut a divinarum rerum contemplatione, Sacrarum Scripturarum

lectione, ferventique oratione spiritum numquam relaxaret. Tandem in Vercellensi Coenobio ad S. Mariam de Bethlehem, ubi diu commoratus est, diem clausit extremum octavo Kal. Feb. an. 1575., miraculis in vita et post mortem clarus. — In eodem Conventu sepultus maximo in honore habitus semper fuit usque ad Decretum Urbani VIII. —

Ex Arturo pag. 37. — Ex Waddingo tom. 12. pag. 183. — Ex Britio pag. 304. — Ex Massa tom. 2. pag. 182.

11. B. ANTONIUS Confessor ex nobili Gente Piscina Antignani in Insubria exortus, qui terrena despiciens, et coelestia inquirens Seraphicum Ordinem est ingressus uni Deo famulaturus. Virtutum omnium, ac evangelicae perfectionis sedulus cultor fuit, ac potens opere, et sermone multis extitit causa salutis. Demum meritis coruscans ad Superos evolavit decimo octavo Kal. Decemb. an. 1599. in Conventu Florentiae, ut refert Waddingus.

Ex Arturo pag. 556. — Ex Waddingo tom. 9. pag. 202. — Ex Britio pag. 303. — Ex Massa tom. 2. pag. 221.

12. B. ARDITIUS Confessor, qui unus fuit ex Seraphici Patriarchae Sociis. Mirabilem huiusce viri ex nobilissima Stirpe Corradorum de Lignana Vercellensis Dioeceseos Oppido prognati conversionem graphice describit Britius. Is inter Francisci familiares vix cooptatus omnibus clare coepit virtutibus, ac verbis, et exemplo ceteris religiose vivendi normam praebuit. Ab ipso Beato Francisco Picenae Provinciae regimini praefectus fuit, et quatuor supra vicanos Conventus excitavit. Tandem meritorum coronam a Deo recepturus Senogalliae obiit Idibus Novemb. an. 1255., cuius sanctitatem multis etiam miraculis Deus illustravit. —

Ex Waddingo tom. 2. pag. 408. — Ex Britio pag. 305. — Ex Massa tom. 2. pag. 219. — Ex Cassalis — *Dizionario Geografico, Storico ecc. tom. 9. pag. 451.*

13. B. BALTHASSAR a Castronovo Iriae Confessor, qui a prima iuventute mundi vanitates exosus Seraphicam paupertatem amplexatus est, atque in via perfectionis usque adeo profecit, ut mira sanctitate vitaeque candore, ac puritate admodum claruerit, miraculis etiam a Domino illustratus. Bennarum Conventum diu incoluit, ubi Beatae Paulae Gambarae virtutum admirator, et assertor, eiusdemque conscientiae moderator aliquando extitit. Obiit in Conventu S. Mariae Gratiarum Montis-Regalis septimo Kal. Maii an. 1528. ibique honorifice conditus fuit. —

Ex Arturo pag. 181. — Ex Gonzaga part. 2. pag. 330. — Ex Britio pag. 307. — Ex Massa tom. 1. pag. 206.

14. B. BARBARA Bergomensis Virgo, quae inter sanctae Clarae alumnae in patrio S. Bernardini Monasterio cooptata, sed aegra nimis valetudine pressa e tyrocinio egredi coacta fuit. Mox Vercellas petiit, ibique Serenissimae Iolantae Sabaudiae Ducissae ope, Civiumque subsidiis, nec non Paulo II. et Sixto IV. probantibus, S. Clarae Monasterium excitavit, cui sicut omnium prima praefuit, ita omnibus Sororibus absolutissimum virtutum exemplar sese praebuit. Hinc meritis cumulata ad coelestem Sponsum felix cucurrit tertio decimo Kal. Decemb. an. 1475. —

Ex Arturo pag. 567. — Ex Gonzaga part. 2. pag. 363.
Ex Waddingo tom. 14. pag. 136.

15. B. BARTHOLOMAEA CARLETTI a Clavasio Virgo, Beati Angeli consobrina. Eximio in Deum amore vel a prima adolescentia flagrans saeculi vanitatibus nuntium remisit, ac Sanctae Clarae Regulam amplexa virtutibus omnibus mirifice eluxit, et corpore, menteque vere virginem se praebuit, donec opimis meritorum spoliis onusta ad coelos evolavit Idib. Octob. an. 1412. in Monasterio Clarissarum Clavasii. Virgineum ipsius corpus, quod apud easdem Vestales olim asservabatur, nunc in maiori Templo eiusdem Urbis iacet. —

Ex Britio pag. 330. — Ex Massa tom. 1. pag. 161.

16. VEN. BEATRIX ex Comitibus Romagnani, quae Seraphici Patris Institutum sub Tertii Ordinis Regula professa, amplissimas, queis locupletabatur, divitias in pietatis opera profudit; vitae sanctimonia mirifice eluxit, ac rerum coelestium meditationi semper intenta fuit. Meritorum coronam a Domino receptura obiit an. 1530., incerta die.

Ex Britio pag. 330. — Ex Massa tom. 1. pag. 48.

17. B. BERNARDINUS ex nobili Mediolanensi Familia de Caymis ortus, qui terrenas opes, mundique illecebras aspernatus Seraphicam paupertatem amplexatus est in Mediolanensi Ordinis Provincia ac religiosae perfectionis absolutissimum evasis exemplar. Sacra Palestinae loca invisit, et in Conventu Montis Sion Coenobiarcha fuit; quod munus laudabiliter explevit. Dehinc ad suos reversus de veluti altera Hierusalem aedificanda, in qua humanae Redemptionis mysteria ab oculos ponerentur cogitare coepit; quod in vertice Montis, qui Varallo imminet mirifice perfecit. In Bosnam et Croatiam uti Commissarius Generalis missus etiam fuit, quatenus lites inter Fratres exortas componeret, quo munere summa cum laude functus est, eo ut tanti viri dexteritatem, atque prudentiam vel ipse Sixtus hoc nomine Quartus fuerit demiratus. Ad Sacrum Varalli Montem reversus, ibi meritis clarus excessit e vita sexto Kal. Iunii an. 1496., atque in ipsa Minorum Ecclesia ad imam eiusdem Montis partem sita conditus fuit; ipsius caput vero quodam in loculamento ad Sanctissimi Christi Sepulchri Sacellum super eodem sacro Monte situm hodieque visitur. —

Ex Arturo pag. 67. — Ex Waddingo tom. 14. pag. 178. tom. 15. pag. 49. — Ex Massa tom. 1. pag. 220.

18. VEN. BONIFACIUS a Riparolio in Canapitio ex Comitibus S. Martini, qui vel ab ipsis Minorum primordiis Seraphicum habitum sumpsit. Religiosae perfectionis cultor fuit eximius, ac paupertatis, vitaeque austeritatis amantissimus. Unica quippe, eaque obsoleta tunica, magni etiam algoris tempore, contentus erat, nudis semper pedibus incedebat, ieiuniis, atque flagellis corpus in spiritus servitute redigebat, atque humillime

de se in omnibus sentiebat. Provincialatus munere semel in Sicilia, ter in Ianuensi Provincia summa cum prudentia functus est. Tandem coelo potius quam terra dignior in Conventu Ianuensi animam Deo reddidit quarto Idus Iunii an. 1530.

Ex Arturo pag. 250. — Ex Britio pag. 312. — Ex Massa tom. 1. pag. 246.

19. B. CANDIDUS RANZUS Vercellensis, vir scientia, virtuteque apprime clarus. Cum ob eximias, quibus praecelebat, virtutes Maioratus dignitas Ecclesiae Vercellensis eidem delata fuisset, constantissime eam recusavit, atque Seraphicae militiae nomen dedit. Quantae foret humilitatis Beatus hic vir ex eo colligere est, quod Episcopales Infulas a suo Patruale Mercurino Gattinaria S. R. E. Cardinali oblatas respuit. Dum autem in Conventu Oppidi S. Georgii in Canapitio moraretur, Valpergiam petiit, eiusdem loci Comitissam aegrotantem caritatis ergo visurus, ibique, prout praedixerat, ex hac vita migravit sexto Kal. Septem. an. 1401. Eius corpus ad praedictum S. Georgii Conventum delatum in Sacello Divi Bernardini honorifice conditum fuit. Ast Minorum Ecclesia postremis hisce temporibus diruta, in maius Oppidi Templum translatum fuit, et honorifico in loco repositum cum sequenti inscriptione:

CANDIDVS · RANZVS · VERCELLENSIS
 QVI · MAIORATVS · DIGNITATE · ECCLESIAE · VERCELLENSIS · CONTEMPTA
 RELIGIONEM · MINORVM · INTRAVIT
 HIC · IACET
 VBI · MVLTIS · FVLGET · MIRACVLIS.

Ex Arturo pag. 409. — Ex Waddingo tom. 9. pag. 249. tom. 15. pag. 472. — Ex Britio pag. 313.

20. B. CATALANUS DE PASQUALIBUS Martyr a Cuneo, scientia virtuteque clarus, qui cum pro tuenda Orthodoxa fide contra Haereticos Calvinianos in Gallia strenue decertaret, ab ipsis Haereticis interceptus

crudeliter necatus est tertio Idus Feb. an. 1521., cuius corpus Valentiam delatum in S. Francisci Coenobio honorifice conditum fuit, multisque claruit miraculis. —

Ex Waddingo *tom. 5. pag. 304.* — Ex Arturo *pag. 65.* — Ex Britio *pag. 314.* — Ex Massa *tom. 2. pag. 253.*

21. VEN. SOROR CATHARINA ALIPRANDI Astensis, quae, terrenis posthabitis nuptiis, uni Deo se totam mancipavit sub S. Clarae Regulae Monasticae disciplinae observantia, multarumque virtutum praerogativa illustris fuit. Miraculis, ac prophetiae dono etiam enituit. Tandem pluribus cumulata meritis, suae, et sex aliarum Monialium mortis die praenuntiato, Astae in Monasterio Sanctissimi Nominis Iesu, cuius una ex fundatricibus fuit, sanctissime obiit 21. Septemb. an. 1529. —

Ex Massa *tom. 2. pag. 140.* — Ex Archiv. Prov.

22. VEN. SOROR CATHARINA FRANCISCA CERRINA Novariensis, quae ab ineunte aetate solitudini addicta, mundique illecebras exosa, vix dum fas sibi fuit, ad S. Clarae Vestales in Patrio Monasterio convolvit, omnibusque virtutibus excolendis totis viribus incubuit, mirabiles in dies ascensiones in corde suo disponens. Abbatissa aliquando electa sanctitatis exemplo omnibus praeluxit, ac ne latum quidem unguem a Regularum observantia recessit. In Domino quievit die 31. Augusti an. 1455. —

Ex Waddingo *tom. 12. pag. 308.* — Ex Massa *tom. 2. pag. 100.*

23. B. CAECILIA A COTINIOLA Virgo, quae Mortariae in Insubria inter S. Clarae Alumnae recepta summis virtutibus, vitaeque sancti-

monia eluxit, Christo sponso dumtaxat placere studens. Meritis plena ad coelestes Agni nuptias evolavit quinto Id. Aprilis an. 1450.

Ex Waddingo tom. 5. ad an. 1430. parag. 51. — Ex Arturo pag. 157. — Ex Gonzaga part. 2. in Monast. S. Clarae Mortariae.

24. VEN. SOROR CLARA CAFFARELLA a Nicia Palearum, illustribus orta natalibus, quae Astae in Monasterio SS. Nominis Iesu virginitatem suam Deo consecravit sub Regula S. Clarae, adeoque virtutibus emicuit, ut omnibus sanctitatis exemplo praeluceret. Post coelestis vitae exercitationem, praenuntiata exitus sui die, obiit in osculo Domini an. 1584. dum summo pietatis affectu recitaret illud Beatae Virginis proloquium: — *Mariae Mater gratiae etc.* —

Ex Archiv. Prov.

25. B. CONCORDIA TORNIELLI Novariensis, genere et virtutibus conspicua, quae in patrio Monasterio Clarissa effecta monasticae vitae, regularisque disciplinae absolutissimum evasit exemplar, eiusque sanctitatem tum in vita, cum in morte miraculis Deus commendavit. Obit Novariae Kal. Augusti an. 1455.

Ex Massa tom. 2. pag. 59. — Ex Waddin. tom. 12. pag. 315. — Ex Gonzaga part. 2. — Ex Arturo pag. 343.

26. B. CRESCENTIUS MORRA a Bennis, qui ab ineunte aetate literis Dei timorem sapientiae initium mirifice adiunxit. Utriusque iuris laurea donatus, uti in iure dicendo integerrimus Iudex fuit, ita eximius Theologus postea evasit. Nam sanctioris vitae desiderio flagrans, Seraphico Ordini nomen dedit, ac religiosa perfectione, doctrinaque maxime enituit. Frequentissimis

concionibus, quas mira eruditione, et eloquentia comite ad populos habebat, ieiunia, et carnis macerationem semper coniunxit. Beati Angeli a Clavasio consuetudine fruebatur, in eiusque locum, ut B. Paulae Gambarae a Confessionibus foret suffectus est. Denique plenus meritis in Conventu S. Bernardini Clavasii obdormivit in Domino tertio Idus. Octob. an. 1494., ibique sepultus fuit. —

Ex Massa tom. 2. pag. 174. — Ex Britio pag. 317.

27. B. CRISTOPHORUS MASCASOLI Mediolanensis, qui Seraphicum Institutum inter Observantes a prima iuventute professus vitae austeritate, animi candore, altissimaeque paupertate eluxit. Insubriae Conventus ad Mediolanensem Ordinis Provinciam tunc temporis spectantes diu incoluit, et meritis conspicuus in Viglevanensi Coenobio excessit e vita Nonis Martii an. 1540., ibique sepultus fuit. —

Ex Arturo pag. 98. — Ex Massa tom. 1. pag. 93.

28. VEN. SOROR DARIA TURCA ab Astis, quae in patrio Monasterio SS. Nominis Jesu Clarissa effecta virginitate, animi candore, morum integritate, vitaeque sanctimonia celebris fuit, ac felix ad astra migravit an. 1584., incerta die. —

Ex Massa tom. 1. pag. 95.

29. B. DOMINICUS a Fossano, qui saeculi vanitatibus valedicens Minorum de Observantia Religionem ingressus est, ac praeter morum integritatem, vitaeque regularis perfectionem adeo sedulus fuit in excolenda vinea Domini Sabaoth, ut ingentes coelo fructus eius cultura pepererit.

Hinc operum, ac meritorum coronam a Deo recepturus Niciae in veteri S. Crucis Conventu cum sanctitatis laude obiit, quin sciamus diem et annum.

Ex Massa tom. 2. pag. 290. — Ex Archiv. Prov.

50. B. ELISABETH Virgo, quae in Monasterio S. Clarae Mortariae floruit. Huiusce Virginis tanta erat vitae innocentia, tantaque morum integritas, ut Beatae nomine adhuc in vivis agens ab omnibus compellaretur. Pretiosa ipsius mors contigit undecimo Kal. Iunii an. 1530.

Ex Arturo pag. 222. — Ex Gonzaga part. 2. in eod. Monast.

51. VEN. SOROR FELIX ROTARIA ab Astis, quae nobilissimo genere nata omnibus saeculi vanitatibus nuntium remisit, ac in eiusdem Civitatis SS. Nominis Iesu Monasterio Sanctae Clarae habitum induit, utque Christo Sponso dignior foret, in omni humilitate, patientia, paupertate, iugique meditatione sese exercuit. Morte tandem correpta ad Agni nuptias evolavit quinto Kal. Decemb. an. 1545.

Ex Massa tom. 2. pag. 251. — Ex Britio pag. 331.

52. B. FRANCISCUS Novariensis, qui Franciscanae militiae adscriptus virtute, atque doctrina claruit. Verbum Dei incredibili zelo, ingentique cum animarum lucro disseminavit. Summam quoque vulgavit de conscientiae casibus. Demum post multos pro salute proximorum exantlatos labores in Domino quievit tertio Kal. Maii an. 1476.

Ex Massa tom. 2. pag. 275. — Ex Marco Ulyssip. part. 3. Chron. Min. libro 4. cap. 28. — Ex Arturo pag. 187.

53. B. GAUDENTIUS CARMELINO ab Omula, vel Eumenia Dioecesis Novariensis, qui cum praefato B. Francisco quemadmodum labores, ita quoque coronam communem habuit; eodem quippe anno in Coelum evolavit.

Ex Massa tom. 2. pag. 275.

54. B. GEORGIUS BALTHASSAR OPPEZZUS a Vigono, nobili exortus prosapia, qui in Conventu S. Mariae Angelorum Taurini inter Franciscuales de Observantia cooptatus religiosae perfectionis semitam eo spiritus fervore cucurrit, ut omnium virtutum absolutissimum exemplar evaserit. In Conventum prope Sanctum Romulum missus ibi diem clausit extremum decimo Kal. Augusti an. 1526., cuius corpus cum pluribus annis sub terra delituisset, inde exhumatum, imputre, atque omnino incorruptum apparuit. Quamobrem non secus ac Beatus ab omnibus, et maxime a Vigonensibus haberi coepit.

Ex Wad. tom. 14. pag. 81. — Ex Arturo pag. 311. — Ex Massa tom. 2. pag. 25.

55. B. GUIDO DE SPATHIS a S. Germano Vercellensi, qui Miorem Ordinem a prima iuventute ingressus summis virtutibus claruit. Magnus extitit Christi Passionis praedicator; orandi studio continuo vacabat, ac tandem sanctitate conspicuus in Bononiensi Conventu obdormivit in Domino decimo Kal. Septemb. an. 1340.

Ex Arturo pag. 386. — Ex Gonzaga part. 2. in Conv. 6. Bonon.

56. B. GUILLELMUS RUBONE a Curtismilio Confessor, Seraphici Patriarchae Socius, ac vitae sanctimonia celebris. Evangelicam paupertatem nedum ipse summiopere adamabat, sed in aliorum cordibus quoque

eiusdem excitabat amorem. Coenobium in patria aedificavit, ac virtutibus, meritisque plenus Bononiae in osculo Domini obdormivit sexto Kal. Iulii an. 1255., sepultusque fuit in Monasterio S. Bernardini, ad cuius Sepulcrum sequens legebatur Epitaphium:

Guillelmus alter nomine

Sacro pollens eloquio

Urbis istius incolas

In viam traxit D.ⁿⁱ

Ex Arturo pag. 262. — Ex Theatro Statuum R. Celsitudinis Sabaudiae etc. part. 2. pag. 116. —
Ex Massa tom. 1. pag. 258. — Ex Antonio Masinio in sua *Bononia perlustrata*.

57. VEN. SOROR HIPPOLITA a Melegnano Virgo, quae Mortariae in Insubria inter Sanctae Clarae Alumnas cooptata maximis virtutibus eluxit, ac meritis cumulata ibidem sancto fine quievit quinto decimo Kal. Augusti an. 1550.

Ex Wad. tom. 10. pag. 175. parag. 55. — Ex Gonzag. pag. 364. — Ex Arturo pag. 313.

58. VEN. IACOBINA SILLANA a Carmaniola, Seraphico Tertii Ordinis Instituto adscripta, quae omnium virtutum genere, et potissimum patientiae laude, vitaeque austeritate illustris fuit; hinc ad Coelum evolavit sanctitatis fama conspicua.

Ex Britio pag. 332.

59. B. INNOCENTIUS a Taurino, singulari doctrina, vitaeque sanctimonia clarus. Diu floruit in patrio S. Mariae Angelorum Conventu; mox ad plures Italiae partes missus, ut Dei verbum disseminaret, ingentes

fructus collegit. Demum apud Campum-Bassum sanctissime obiit quarto Nonas Feb. an. 1551., sepultusque fuit in Conventu S. Mariae Gratiarum.

Ex Arturo pag. 48. — Ex Gonzaga part. 2. pag. 426. — Ex Massa tom. 2. pag. 63.

40. BB. IOANNES BANIUS Astensis, et IOANNES MAËRIUS Salutiensis Martyres, quorum alter Sacerdos et concionator eximius, alter vero Diaconus erat. Hi cum Viriae in Neustria magno cum animarum luero Dei verbum praedicarent, atque pro tuenda Orthodoxa fide contra Haereticos strenue decertarent, ab iisdem comprehensi, plurimisque iniuriis affecti, ac tormentis exagitati, tandem crudeliter necati sunt tertio Nonas Septemb. an. 1568.

Ex Arturo pag. 430. — Ex Wad. tom. 7. ad an. 1491. — Ex Massa tom. 1. pag. 106.

41. B. IOANNES DEMOSTHENES RANZUS Vercellensis, nobili genere ortus, B. Candidi consobrinus, qui, saeculi vanitatibus posthabitis, Seraphicam paupertatem amplexus est. Tyrocinio in Taurinensi Conventu S. Mariae Angelorum laudabiliter expleto, religiosae perfectionis specimen brevi evasit. Cum Philippus II. Sabaudiae Dux apostolicum virum ab Alexandro VI. expostulasset, qui Valdensium Haereticorum audaciam retunderet, Ven. Patrem Ioannem ad hoc opus selegit Summus Pontifex, Apostolicis literis sub die 29 Martii an. 1497. datis. Dici vix potest, quo animi ardore hoc munus sibi demandatum explevit Beatus hic Minorita, plures quippe ex ipsis Haereticis ad Ecclesiae sinum perduxit. Postremo plurimis cumulatus meritis excessit e vita in Conventu S. Mariae Angelorum Taurini die 7. Iunii an. 1512., ibique honorifice tumulatus fuit.

Ex Massa tom. 1. pag. 237.

42. **B. IOANNES FRANCISCUS** a Casali, pietate celebris, qui inter Canonicos Regulares, quos Lateranenses vocant, primum cooptatus, rigidioris vitae desiderio incensus Minorum Ordinem postea ingressus est, ac ne latum quidem unguem a Divinorum mandatorum, et Regulae observantia recessit, eo ut inter praecipuos regularis Observantiae assertores recensere non dubitaverit Marcus Ulyssiponensis. Pretiosam tandem in conspectu Domini mortem obivit in Fesulano Conventu undecimo Kal. Septemb. an. 1515., subsequentibus signis eiusdem sanctitatem haud inani proeconio celebrantibus.

Ex Marco Ulyssip. *part. 3. Chron. Min. lib. 1. cap. 7.* — Ex Massa *tom. 2. pag. 148.* — Ex Brit. *pag. 326.*

43. **B. IOANNINUS MINOIA** a Crebula Oscellentium, qui Seraphico Ordini adscriptus maxima caritate erga Deum, et proximum exarsit; hinc Deo et hominibus dilectus fuit. Ex hac vita migravit in Casalensi Coenobio S. Mariae Angelorum, ibique sepultus fuit. Ast cum postea ille Conventus dirutus fuerit, B. illius viri exuviae ad S. Antonii Abbatis Ecclesiam translatae sunt.

De B. hoc Viro agunt Villegas, Cotta, ac Bescapheus.

44. **B. IOSEPH** ab Eporedia, qui ab ineunte aetate religiosae vitae cupidus inter Minores de Observantia cooptatus est. Seraphico habitu indutus ieiuniis, vigiliis, macerationibus, orationibus, aliisque virtutum generibus iugem operam dedit. Donec Sanctitatis fama clarus ad Coelum evolavit in Conventu S. Georgii in Canapitio sexto Kal. Septemb. an. 1401., ibique honorifice tumulatus fuit.

Ex Wad. *tom. 9. pag. 249.* — Ex Arturo *pag. 409.*

45. VEN. SOROR LEONA LAIOLA Astensis, prima celeberrimi Clarissarum Monasterii SS. Nominis Iesu Astae Abbatissa, quae concreditas sibi oves summa prudentia, caritateque comite gubernavit, in omnibus seipsam praebens bonorum operum exemplum. Hinc lampade non vacua ad coelestis Agni nuptias ingressa est decimo quinto Kal. Decemb. an. 1564.

Ex Brit. pag. 332. — Ex Massa tom. 2. pag. 233.

46. VEN. SOROR LUCIDA TORNIELLI Novariensis, nobili exorta prosapia, quae inter S. Clarae Vestales in patrio Monasterio adscripta vitam prope angelicam duxit. Orationi, rerum coelestium contemplationi, et carnis macerationi iugiter intenta immaculato calle vitae cursum confecit, ac felix migravit ad Sponsum prid. Kal. Ian. an. 1545. Quam veluti Beatam cum Christo regnantem venerati sunt Novarienses usque ad Urbani VIII. decretum.

Ex Arturo pag. 640. — Ex Wad. tom. 12. pag. 308. — Ex Massa tom. 2. pag. 312.

47. B. LUDOVICA B. Amedei IX. Sabaudiae Ducis, et Violantae Ludovici XI. Galliarum Regis sororis filia, genere quidem clara, sed virtutibus, vitaeque sanctitate longe clarior. Haec ab incunte aetate coelesti gratia praeventa pietatem impense colere coepit, ac Christum solum amare gestiens eidem toto cordis affectu se devovit. Mox licet invita Hugoni a Cabilone, Domino Castri Guidonis et Nosereti nupsit, quocum undecim annis sanctissime vixit. Postmodum a lege viri soluta ad Sanctimoniales primam S. Clarae Regulam, et B. Coletae reformationem Orbae in Vaudensium territorio profitentes convolvavit, quatenus quae Dei sunt, prout semper optaverat, dumtaxat cogitaret, ibique tantae erat humilitatis, ut cuivis vel infimae sorori obsequium praestare gestiret. Ieiunium quoque assiduum illi fuit, abstinencia continua, carnis maceratio frequens, iugis oratio, ac rerum divinarum meditatio familiaris, cui dum ardentius vacaret, in extasim rapiebatur. Tandem Christo Sponso in aevum socianda

excessit e vita septimo Id. Augusti an. 1503., ante et post mortem miraculis clara; cuius cultum nullo non tempore praestitum Gregorius XVI. confirmavit die 12. Augusti an. 1859.

Ex Arturo pag. 356. — Ex Pingonio — in Arb. Gentil. Sabaudiae Domus, num. 299. — Ex Britio pag. 332. — Ex Massa tom. 2. pag. 39.

48. **B. MATTHAEUS** Crescentinensis, qui in humili laicorum gradu Seraphicum Institutum amplexus est. Regularis disciplinae adeo rigidus custos fuit, ut ne hilum quidem a Regulae praeceptis recederet. Humilitate, animi demissione, orationis studio, ferventi in Deum caritate maxime eluxit. Obiit in Conventu S. Mariae Angelorum Taurini decimo septimo Kal. Augusti sub finem saeculi decimi quinti.

Ex Massa tom. 2. pag. 24.

49. **B. MATTHAEUS NOLIUS** Novariensis, qui genere, virtute, signorumque frequentia fuit illustris. Diem clausit extremum in patrio Conventu, sepultusque fuit in Sacello S. Francisci.

Ex Arturo pag. 356. — Ex Wad. tom. 14. pag. 194. — Ex Massa tom. 2. pag. 73.

50. **B. PACIFICUS RAMATI** a Cerano Novariensis Dioecesis Oppido, qui adhuc adolescens parentibus orbatus de capessendo religioso Instituto cogitare coepit, et Franciscanae militiae nomen dedit in Conventu Novariensi, statimque apparuit, eum ad magnum aliquid portendendum peculiari Dei providentia fuisse reservatum. Nam solemnibus votis Deo nuncupatis, in omni virtutum genere mirifice enituit. Summa inerat ei simplicitas, animi candor, mansuetudo, obedientia, ac Seraphicae paupertatis amor. Philosophicis, ac Theologicis disciplinis imbutus, et

Sacerdotio initiatus ad proximorum salutem se totum convertit. Fervidus enim extitit concionator, et in lucrandis animabus verbo et opere potens. Cumque ipsius Sanctitatis fama longe lateque volitaret, Sixtus IV. Pont. Max. Commissarium Apostolicum ad Sanctam contra Turcas Italiae oram iam invadentes Cruciatam evulgandam eum renuntiavit. Mox in Ordinis Comitiis Generalibus Ferrariae anno 1481. celebratis, Commissarius pro Sardiniae Provinciis delectus fuit. Quod munus cum summa prudentia obiret, lethali morbo correptus ad Superos evolavit pridie Nonas Iunii anno 1482. Cuius corpus furtim in sarcinulis mercatorum Ceranum translatum, in Ecclesiola Fratrum Minorum honorifice tumulatum fuit, statimque coepit clarere miraculis, et ab omnibus coli. Porro anno 1831. pridie Nonas Septembris in Templo Ceranensium expensis eidem erecto collocatum fuit. Beati huiusce Viri cultum ab immemorabili tempore eidem praestitum pro universo Minorum Ordine, et Clero Ceranensi ratum habuit Benedictus XIV. (1), et Emin. Cardinalis Ioseph Morozzo Episcopus Novariensis ad totam Dioecesim extendit (2). —

(1) Apost. Decret. dat. fuit Romae 12. Maii an. 1746. — (2) Ex Decret. dat. Novariae, die 27. Novemb. an. 1821. — Ex Arturo pag. 24. — Ex Wad. tom. 14. pag. 165. 266. 326. — Ex Massa tom. 1. pag. 234.

51. B. PAGANUS Novariensis, ex nobili prosapia Tornielli genitus, qui Tertio Ordini Seraphico adscriptus piis peregrinationibus, pauperibus iuvandis, et infirmis curandis totus incubuit. Cum Assisii, quo in Seraphicum Patriarcham devotionis ergo perrexerat, moraretur, contagioso morbo illic tunc temporis grassante correptus excessit e vita Nono Kal. Iunii anno 1478. — Servi sui Sanctitatem Deus signis illustravit.

Ex Arturo pag. 549. — Ex Wad. tom. 14. pag. 209. — Ex Massa tom. 1. pag. 213.

52. B. PAULA GAMBARA Brixiensis, nobili genere illustris, sed virtutibus, vitaeque sanctimonia longe illustrior, quae Ludovico Costae Bennarum Comiti nupta, omni vestium luxu reiecto, Seraphici Tertii Ordinis habitum induit, mirisque virtutibus coruscavit. Profundissima

quippe inerat ei humilitas, in adversis invictissima constantia, in perfectis iniuriis aequanimitas summa. Gravissimas enim Mariti iniurias, quem thalami iura violare noverat, aequo animo semper tulit, ac non suam sed Divinae Maiestatis offensam ingenti animi dolore lamentabatur. Ipsius porro in pauperes misericordia admirabilis prorsus fuit. Nul- lum quippe miseriarum genus erat, quod studiosissime non sublevaret, atque a coniuge quod integrum optimi vini dolium pauperibus erogasset, aliquando gravissime obiurgata, illud miraculose replevit. Item cum in rigentis hyemis algore panem ad inopes deportaret, quid in gremio deferret ab eodem graviter expetita, flores respondit, pane in vernantes rosas extemplo commutato. Beatum Angelum a Clavasio, et B. Balthas- sarem a Castronovo conscientiae suae moderatores habuit, quorum eru- dita praeceptis meliora in dies aemulabatur charismata, miras in corde suo ascensiones disponens, atque in Evangelicae perfectionis semita adeo profecit, ut absolutissimum virtutum omnium exemplar evaserit. Morbo tandem correpta, et Ecclesiae sacramentis munita quievit in Domino Nono Kal. Feb. anno 1505. Ipsius corpus, prout ipsa demandaverat, in Ecclesia Fratrum Minorum de Observantia honorifice conditum fuit; sed ea prae bellorum turbine diruta, in Bennense Castrum fuit delatum. Dehinc in novam Divi Francisci eiusdem Ordinis Ecclesiam translatum, in Sacello eidem sacro repositum fuit, hodieque adhuc integrum visitur, maximaque populorum frequentia, ac devotione colitur. Huiusce Beatae cultum Gregorius XVI. decimo nono Kal. Septemb. anno 1845. ratum habuit, atque confirmavit.

Ex Arturo pag. 36. — Ex Brit. pag. 333. — Ex Massa tom. 1. pag. 30.

53. B. PETRUS DE PASQUALIS a Cuneo Martyr, qui cum Dei ver- bum ingenti cum animarum lucro in Gallia Narbonensi praedicaret, ac pro tuenda Orthodoxa Fide contra Haereticos strenue decertaret, una cum B. Catalano, de quo supra, Martyrio coronatus est.

54. B. RAPHAEL a Taurino, vitae sanctimonia conspicuus, qui Sera- phicum Institutum amplexatus patrium S. Mariae Angelorum Conventum diu incoluit. Cumque concionator eximius foret, in pluribus Italiae Pro-

vinciis ingenti cum animarum fructu Dei verbum disseminavit. Provinciam S. Angeli in Apulia summa cum prudentia aliquando rexit, ac sanctitatis fama celebris obiit in Conventu S. Mariae Gratiarum apud Campum-Bassum pridie Idus Iunii an. 1551.

Ex Arturo pag. 254. — Ex Gonzaga part. 2. — Ex Massa tom. 1 pag. 249.

55. BB. RAYMUNDUS et FRANCISCUS Sacerdotes, et LAURENTIUS Laicus ab Alexandria Statyellorum, qui Armalech in Tartariae Imperio pro Christi fide interempti Martyrii corona donati sunt octavo Kal. Iunii an. 1542.

Ex Arturo pag. 272. — Ex Wad. tom. 7. pag. 255. parag. 7. — Ex Massa tom. 1. pag. 269.

56. B. THOMAS CACCIA Novariensis nobili genere clarus, qui terrenis divitiis posthabitis Seraphicam paupertatem amplexus est, et maximis virtutibus emicuit. Cum Sanctitatis fama ex hac vita migravit Novariae in Conventu S. Nazarii septimo Id. Augusti an. 1478., sepultusque fuit in Sacello Divi Francisci.

Ex Arturo pag. 356. — Ex Wad. tom. 11. pag. 221. tom. 14. pag. 209. — Ex Massa tom. 2. pag. 73.

57. VEN. SOROR THOMASIA AIATIA Vercellensis, quae inter S. Clarae Alumnas in patrio Monasterio cooptata praeclaris virtutibus, humilitate potissimum, sui que abnegatione excelluit, ac vitae suae cursum feliciter complevit, meritisque plena ad coelestem Sponsum evolavit, die tamen et anno incerto.

Ex Brit. pag. 335. — Ex Archiv. Prov.

58. VEN. UGOLINUS OLIVERI a Summaripa-Nemoris Laicus, qui suis virtutibus, vitaeque sanctimonia hanc Divi Thomae Provinciam, et praecipue Sacrum Buschae Recessum, ubi ad obitum usque commoratus est, mirifice illustravit. Vix enim dici potest, quam hic Dei servus in obediendo fidelis, in orando assiduus, in meditando ardens, in corporis maceratione rigidus, in custodienda puritate sollicitus, et in Seraphicae paupertatis amore flagrans foret. Tanta etiam in Deiparam Virginem inerat ei devotio, ut vix audito eiusdem nomine in extasim raperetur. Qui fervens Ugolini amor quam Divinae Parenti foret acceptus, ex eo maxime colligitur, quod eadem Virgo, uti fama est, saepe saepius eundem fuerit allocuta. Tandem meritis onustus in praefato Buschae Coenobio sanctissime obiit septimo Id. Decembris an. 1772. — Ipsius corpus in communi Fratrum tumulo primum conditum, mox exhumatum honorifico in loco repositum fuit die 14. Iulii an. 1773. In eversione porro illius Conventus Ven. Serv. Dei exuviae in princeps Buschae Templum translatae sunt, ibique etiam nunc manent, maximo a Buschensibus in honore habitae.

Ex Archiv. Prov.

59. VEN. SOROR VIOLANTA Astensis ex conspicua familia Pelletta prognata, quae in patrio SS. Nominis Jesu Monasterio Clarissarum coetui adscripta, omnium virtutum exemplar se praebuit, Christo Sponso unice placere studens; donec ad coelestes nuptias vocata diem clausit extremum pridie Nonas Maii an. 1546.

Ex Massa tom. 1. pag. 190. — Ex Archiv. Prov.

Hisce omnibus recensitis Beatis viris plures alii subnecti possent, qui praeclaris virtutibus exornati cum sanctitatis fama viam universae carnis ingressi sunt, quos inter sequentes recensere placet:

1. FR. BENEDICTUS MARIA ODDONE a Triora Provinciae Ianuensis primum alumnus, dein huius Divi Thomae Apostoli, qui maiorem vitae suae partem in Sacris Recessibus transegit, ac mortificatione, sui que contemptu fuit insignis. Obiit an. 1774. sanctitatis fama clarus. — *Ex* — *Biografia Serafica* — pag. 817.

2. FR. DAVID a Taurino, qui virtutibus et meritis claruit, et in Conventu S. Mariae Angelorum Taurini in pace quievit.

3. FR. GEORGIUS SCARZELLI a Murra, qui Sacri Recessus Conventum apud S. Damianum Astarum diu incoluit, quique veluti Sanctus semper est habitus ab illius Oppidi incolis, qui insignium eiusdem virtutum testes fuere. — *Ex Casalis* — tom. 11., pag. 445.

4. FR. FRANCISCUS a Bargis, qui in Conventu S. Mariae Angelorum Taurini floruit, ibique diem clausit extremum.

5. FR. GERARDUS CAGNOLI a Valentia ad Padum, qui in humili Laicorum gradu Deo placere studuit, virtutibusque maxime resplenduit. Obiit Panormi an. 1545. quarto Kal. Ian.—*Ex Arturo* pag. 617.—*Ex Casalis*, tom. 23. pag. 640.

6. FR. GERARDUS item a Valentia, qui praeclaris enituit virtutibus, ac in Domino quievit an. 1627. — *Ex Casalis ibidem*.

7. FR. IOANNES BAPTISTA pariter a Valentia, qui praeclara suae virtutis specimina Dertonae praebuit, dum contagiosa lues ibidem circa an. 1631. serpebat. Meritis clarus fato cessit Alexandriae. — *Ex Casalis ibidem*.

8. FR. IOANNES BAPTISTA ZAPPA a Romaniano, in Seraphica Religione IACOBUS ANTONIUS nuncupatus, qui cum Sanctitatis odore in Conventu S. Mariae de Aracoeli die 27. Novemb. an. 1712. obiit.

9. FR. LUDOVICUS VAJRO, qui totam pene vitam in sacro Recessu *Lavezzolarum* transegit. Vir in Sanctorum scientia versatissimus fuit, et in laborando pro animarum salute indefessus. Ultima in infirmitate Fratris suis diem et horam suae dormitionis praedixit, et in osculo Domini obdormivit an. 1790. — *Ex* — *Biografia Serafica* — pag. 851.

EIVSDEM PROVINCIAE

PONTIFICES ET CARDINALES.

Paulus Britius huic Subalpinae Provinciae adscribit SIXTUM IV., Patria Savonensem, et ex antiquissima Ruverorum familia natum, qui ubi per aetatem licuit, Minoritarum habitum suscepit. Ticini Philosophiae, ac Theologiae laurea donatus has scientias Papiæ, Senis, Bononiae, Florentiae, Patavii, Perusii, ac Taurini summo omnium plausu docuit. Ministri Generalis Iacobi de Sarzuela ob senectam Ordini regundo impari in potestate adiutor, et consors fuit. Mox, Capitulo Perusii in Montis Conventu celebrato, ad totius Ordinis Ministerium evectus fuit. Dehinc Generalibus Comitibus Florentiae habitis, cum Venetias valetudinis ergo pergeret, Papiæ per literas certior efficitur, se a Paulo II. Cardinalem sub titulo S. Petri ad Vincula fuisse renuntiatum. Eodem Pontifice postea vita functo, ad Petri Cathedram fuit evectus. Demum septuagenarius cessit e vita anno 1484. — Multa in Pontificatu utilia, ac memoratu digna gessit. Geminos quoque libros scripsit, alterum de Sanguine Christi, alterum vero de futuris contingentibus. — *Ex Waddingo pag. 534. — Ex Britio pag. 251. et seq.*

FR. BARTHOLOMAEUS DE COTHURNO a Clavari, qui a prima iuventute Ordini Seraphico adscriptus, doctrina, et eloquentia excelluit. Ob eximia ipsius merita ad Ianuensem Archiepiscopatum primum, dein ad Purpuræ fastigium evectus fuit ab Urbano VI. — Obiit anno 1385. — *Ex Wad. tom. 9. pag. 15. et seq. — Ex Britio pag. 255.*

FR. CLEMENS DE RUVERE Sixti IV. ex sorore Nepos a Savona, qui Seraphicum Ordinem ingressus praeclara in eo doctrinae pignora reliquit. A Iulio II. Mimatensis Episcopus primum, dein Cardinalis creatus fuit. Immature fato correptus in pace quievit decimo nono Kal. Septemb. an. 1505. — *Ex Waddingo tom. 15. pag. 265. — Ex Britio pag. 257.*

FR. CLEMENS DOLERA a Monilia, qui, Minorum habitu suscepto, studio atque laboribus statim clarere coepit. Delatum sibi in Hispaniis totius Ordinis ministerium sex annos laudabiliter gessit, et ob praeclara ipsius merita a Pio IV. Fulginatensibus Infulis decoratus fuit. Mox a Paulo IV. Cardinalis electus Observationi Decretorum Tridentinae Synodi

praefectus fuit. Tandem doctrina, et virtutibus clarus fato concessit anno 1568. — *Ex Britio pag. 259.*

FR. LANFRANCUS ab Onelia, quem inter purpuratos aliquando concessisse Britius colligit ex ipsius tumulo in veteris Praepositurae Ecclesia, quae unius milliari spatio ab Onelia distat, existente. — *Vid. Britium pag. 261.*

FR. MARCUS VIGERIUS a Savona, doctrina celebris, qui in Romana Sapiencia publicus fuit Professor; dehinc Senogalliensis Episcopus; demum Presbyter Cardinalis S. Mariae trans Tyberim a Iulio II. creatus fuit. — Obiit septuagenarius anno 1516. quinto decimo Kal. Augusti. — *Ex Wad. tom. 14. pag. 164. — tom. 15. pag. 305. — Ex Britio pag. 258.*

FR. PETRUS RIARIUS Sixti IV. ex sorore Nepos a Savona, qui Avunculi hortatu Seraphicum Institutum professus est. Ab eodem Pontifice Hispalensi, Tarvisinae, Mimatensi, Senogalliensi, ac Florentinae Ecclesiis praefectus fuit. Mox ad Patriarchatum Constantinopolitanum, dehinc ad Purpurae fastigium evectus est. Post plurima negotia mira dexteritate administrata animam Deo reddidit anno 1473. — *Ex Wad. tom. 13. pag. 464. pag. 271. — Ex Britio pag. 256.*

EIUSDEM PROVINCIAE

PATRIARCHAE, ARCHIEPISCOPI, ET EPISCOPI.

FR. ANTONIUS de Valentia ad Padum doctrina clarus, qui a Bonifacio VIII. Caietanae Ecclesiae praefectus eam sapientissime rexit, ac virtutibus, meritisque admodum enituit. — *Ex Wad. et ex Britio.*

FR. ALBERTUS ex Nobili Gente Gonzaga prognatus, qui sub Divi Bonaventurae tempora Franciscanae militiae adscriptus meritis excelluit. Hinc ad Eporediensem Infulam evectus fuit, et cum eodem D. Bonaventura Synodo Lugdunensi interfuit. Demum Eporediae excessit e vita, sepultusque fuit in Ecclesia Divi Francisci. — *Ex Wad. et ex Britio.*

FR. ALBERTUS a S. Georgio, qui ob doctrinae, et eloquentiae meritum Episcopali Feltrensis Ecclesiae dignitate a Bonifacio VIII. auctus fuit. — *Ex Wad. et ex Britio.*

FR. AMEDEUS ab Alba, qui Seraphicum Ordinem, et Patriam praeclaris suis meritis, ac virtutibus maxime illustravit. A Clemente VI. Langonensis Episcopus in Pannonia primum renuntiatus, dein Naulensi Ecclesiae regundae ab eodem Pontifice praefectus fuit.

FR. ANGELUS CHIUS Nobilissimae Iustinianorum familiae surculus, vir omnigena scientia praeditus, qui Emanuelis Philiberti Sabaudiae Ducis ab eleemosynis, et conscientiae moderator extitit; mox ad Ianuensem Archiepiscopatum evectus fuit. Ast Infulis postea cessit, ac Franciscalibus in Claustis, in quibus virtutes, ac sapientiam hauserat, reliquum vitae suae cursum complevit.

FR. ANTONIUS a Pinarolio, qui meritis, et doctrina refulsit; plurima in Ordine officia laudabiliter obivit; dehinc Fani in Piceno Episcopalibus insignibus decoratus est die 13. Augusti an. 1482. — Paucis annis illam Ecclesiam gubernavit, et fato correptus in Cathedrali sepultus fuit, appositis ad eius tumulum effigie, ac sequenti Epitaphio:

*Reverendissimo D. D. Antonio de Pinarolo Sacrae Theologiae
Magistro Ordinis Min. diversis Provinc. iterum Ministro,
Episcopo Fanensi suae Cathedralis Ecclesiae, praediorumque omnium
Optimo restauratori; bonorum sibi a Deo datorum hilari
Eleemosynario, hoc superest sepulcrum. Vixit an. LXXXV.*


*Obiit an. salutis MCCCCICVI. — Ex Wad. tom. pag. 128. — Ex
Casalis, Dizionario Geografico ecc. tom. 15 pag. 354.*

praefectus fuit. Tandem doctrina, et virtutibus clarus fato concessit anno 1568. — *Ex Britio pag. 259.*

FR. LANFRANCUS ab Onelia, quem inter purpuratos aliquando condesisse Britius colligit ex ipsius tumulo in veteris Praepositurae Ecclesiae, quae unius milliari spatio ab Onelia distat, existente. — *Vid. Britium pag. 261.*

FR. MARCUS VIGERIUS a Savona, doctrina celebris, qui in Romana Sapiientia publicus fuit Professor; dehinc Senogalliensis Episcopus; demum Presbyter Cardinalis S. Mariae trans Tyberim a Iulio II. creatus fuit. — Obiit septuagenarius anno 1516. quinto decimo Kal. Augusti. — *Ex Wad. tom. 14. pag. 164. — tom. 15. pag. 305. — Ex Britio pag. 258.*

FR. PETRUS RIARIUS Sixti IV. ex sorore Nepos a Savona, qui Avunculi hortatu Seraphicum Institutum professus est. Ab eodem Pontifice Hispalensi, Tarvisinae, Mimatensi, Senogalliensi, ac Florentinae Ecclesiis praefectus fuit. Mox ad Patriarchatum Constantinopolitanum, dehinc ad Purpurae fastigium evectus est. Post plurima negotia mira dexteritate administrata animam Deo reddidit anno 1473. — *Ex Wad. tom. 15. pag. 464. pag. 271. — Ex Britio pag. 256.*



EIUSDEM PROVINCIAE
 PATRIARCHAE, ARCHIEPISCOPI, ET EPISCOPI.

FR. ANTONIUS de Valentia ad Padum doctrina clarus, qui a Bonifacio VIII. Caietanae Ecclesiae praefectus eam sapientissime rexit, ac virtutibus, meritisque admodum enituit. — *Ex Wad. et ex Britio.*

FR. ALBERTUS ex Nobili Gente Gonzaga prognatus, qui sub Divi Bonaventurae tempora Franciscanae militiae adscriptus meritis excelluit. Hinc ad Eporediensem Infulam evehctus fuit, et cum eodem D. Bonaventura Synodo Lugdunensi interfuit. Demum Eporediae excessit e vita, sepultusque fuit in Ecclesia Divi Francisci. — *Ex Wad. et ex Britio.*

FR. ALBERTUS a S. Georgio, qui ob doctrinae, et eloquentiae meritum Episcopali Feltrensis Ecclesiae dignitate a Bonifacio VIII. auctus fuit. — *Ex Wad. et ex Britio.*

FR. AMEDEUS ab Alba, qui Seraphicum Ordinem, et Patriam praeclaris suis meritis, ac virtutibus maxime illustravit. A Clemente VI. Langonensis Episcopus in Pannonia primum renuntiatus, dein Naulensi Ecclesiae regundae ab eodem Pontifice praefectus fuit.

FR. ANGELUS CHIUS Nobilissimae Iustinianorum familiae surculus, vir omnigena scientia praeditus, qui Emanuelis Philiberti Sabaudiae Ducis ab eleemosynis, et conscientiae moderator extitit; mox ad Ianuensem Archiepiscopatum evehctus fuit. Ast Infulis postea cessit, ac Franciscalibus in Claustris, in quibus virtutes, ac sapientiam hauserat, reliquum vitae suae cursum complevit.

FR. ANTONIUS a Pinarolio, qui meritis, et doctrina refulsit; plurima in Ordine officia laudabiliter obivit; dehinc Fani in Piceno Episcopalibus insignibus decoratus est die 15. Augusti an. 1482. — Paucis annis illam Ecclesiam gubernavit, et fato correptus in Cathedrali sepultus fuit, appositis ad eius tumulum effigie, ac sequenti Epitaphio:

*Reverendissimo D. D. Antonio de Pinarolo Sacrae Theologiae
 Magistro Ordinis Min. diversis Provinc. iterum Ministro,
 Episcopo Fanensi suae Cathedralis Ecclesiae, praediorumque omnium
 Optimo restauratori; bonorum sibi a Deo datorum hilari
 Eleemosynario, hoc superest sepulcrum. Vixit an. LXXXV.*

Obiit an. salutis MCCCICVI. — Ex Wad. tom. pag. 128. — Ex Casalis, Dizionario Geografico ecc. tom. 15 pag. 354.

FR. ANTONIUS ARIBALDI a Valentia ad Padum, ad Episcopalem Caietanam sedem evectus, qui commissum sibi gregem summa cum prudentia gubernavit. Meritis et virtutibus cumulatus diem clausit extremum haud sine fama sanctitatis an. 1360. — *Ex Wad. et ex Casalis tom. 23 pag. 640.*

FR. AURELIUS a Monilia, prudentiae, atque doctrinae fama celebris, qui Brugnatensi Ecclesiae praefectus fuit. — *Ex Britio.*

FR. BARTHOLOMAEUS RUVEREUS Iulii II. germanus, et Sixti IV. nepos, qui Episcopus Ferrariensis primum, dein Patriarcha Antiochenus renuntiatus fuit. — *Ex Wad. tom. 5. pag. 280.*

FR. BARTHOLOMAEUS SERAPHINUS a Castronovo, qui honorificis in Ordine Seraphico perfunctus muneribus ad Episcopalem dignitatem elevatus est. — *Ex Britio.*

FR. BARTHOLOMAEUS de Buschettis Mutinensi Ecclesiae praefectus, qui Dioecesim sibi concreditam omnigena sapientia, ac virtutibus summo opere illustravit. — *Ex Wad. et ex Britio.*

FR. BARTHOLOMAEUS de Cassino, maximo ingenio, probitateque clarus, qui Foliensibus Infulis insignitus fuit an. 1346. — *Ex Wad. et ex Britio.*

FR. BELTRANDUS meritis conspicuus, qui ad Ianuensem Archiepiscopatum assumptus tanta integritatis laude praecelluit, ut ad Venetos, et Concives suos conciliandos a Summo Pontifice fuerit delegatus. — *Ex Britio.*

FR. BERNARDINUS PRATO Cheriensis, qui, Seraphico habitu suscepto, ob suae doctrinae praestantiam Doctorum Collegio Taurini, ac Bononiae fuit adscriptus. Totius Ordinis Procurator, dein Commissarius, postremo Minister Generalis extitit. Mox a Leone X. Archiepiscopus Atheniensis, dehinc Episcopus Caiacciensis fuit renuntiatus. — *Ex Wad. — Ex — Biografia Serafica — pag. 519.*

FR. BERNARDINUS BOLLATI a Cardeto in Pedemontio, inter primos aevi nostri Oratores merito cooptatus, qui quadragesimalem praedicationem in Taurinensi Metropolitana an. 1808. — 1818. laudabiliter complevit. Definitor Generalis extitit; mox Bugellae Episcopus creatus

fuit. Obiit die 11. Iunii, an. 1828., super cuius tumulo sequens legitur inscriptio:

FR · BERNARDINVS · BOLLATI
 ORD · S · FRANCISCI · MIN · OBS.
 EPISCOPVS · BVGELL · PATER · MVNIF.
 OBIT · DIE · 11 · IVNII
 AN · LVI.

FR. BONARDUS a Monte-Regali, qui ad exterminandam Calvinianam Haeresim, quae in Gallia grassabatur, missus, ut maiori dignitate in hac sua missione fulgeret, Episcopus consecratus fuit. — *Ex Britio.*

FR. BONIFACIUS a Corgnato, vitae puritate, ac doctrinae eminentia conspicuus, qui ob praeclara ipsius merita Aquensi Ecclesiae an. 1403. a Bonifacio IX. praefectus fuit. — *Ex Wad. et ex Britio.*

FR. BONAVENTURA PIUS Scoti doctrinae aemulator studiosissimus, qui Aquensis Episcopus constitutus gregem suum frequenti Divini verbi praedicatione recreabat. — *Ex Britio.*

FR. CONRADUS MALASPINA, qui sanguinis nobilitatem, terrenasque divitias parvipendens humili, ac pauperrimae Seraphicae militiae nomen dedit. Mox ob ipsius doctrinae praestantiam ad Aquensem Cathedram ab Urbano VI. evectus fuit. — *Ex Wad. et ex Britio.*

FR. CRESCENTIANUS CAVALLI ab Eporedia, Pedemontanae Provinciae alumnus, qui regularis Observantiae cultor eximius fuit; Tyronum magister primum, dein Guardianus Clavasii extitit. Mox ad Sinense Imperium convolans, ut sedentibus in tenebris populis salvificae fidei iubar afferret, sex mensium spatio carcerem fortiter, patienterque sustinuit. Postmodum Cusinensis Episcopus, nec non Provinciarum Xan-si et Xen-si Vicarius Apostolicus an. 1791. renuntiatus fuit. Ast fato cessit, priusquam Apostolicae literae ad eum pervenirent. — *Ex — Biografia Serafica — pag. 847.*

FR. DOMINICUS PANIALIUS a Montecalerio, qui Vercellensi Ecclesiae praefectus, eandem summa prudentia rexit. — Obiit Carmaniolae an. 1487 quinto Id. Septemb. — *Ex Britio.*

FR. EPHYSIUS CHIAIS a Serralonga, Missionarius Apostolicus in Sinae Imperio, qui Episcopus Thiennensis, et Vicarius Apostolicus Xen-si creatus est 24. Ian. an. 1847.

FR. FRANCISCUS RASINI, dehinc MARTINENGO dictus, vir summa integritate, et prudentia exornatus, qui ab ineunte iuventute Seraphicum Institutum amplexus studium pietati mirifice coniunxit. Per multa in Ordine officia laudabiliter obivit. Mox Caroli Emanuelis I. Sabaudiae Ducis conscientiae moderator et consiliarius fuit. Ab eodem Principe in Galliam, Hispaniam, ac etiam ad Apostolicam Sedem pro gravibus negotiis expediendis missus summa cum laude in hisce muneribus se gessit. Dehinc ad Archiepiscopatum Taurinensem electus ob exortas difficultates Niciae Ecclesiae praefectus fuit, eamque sapientissime rexit. Statuta etiam Synodalia vulgavit, nec non Episcoporum illius Dioeceseos catalogum. Sacellum Ss. Sacramenti in Cathedrali Ecclesia a fundamentis erexit, et alia bene multa laude digna perfecit. — *Ex Casalis tom. 4. pag. 403.*

FR. FRANCISCUS PANIGAROLA Mediolanensis, nobili genere natus, ac summo ingenio praeditus. Florentiae Seraphico Instituto nomen dedit. Parisiis Philosophiam, ac Theologiam didicit; quibus abunde instructus concionandi munus suscepit, atque adeo praecelluit, ut ad illum audiendum turmatim populi confluerent. Sixtus V., Carolo Emanuele I. deposcente, Astensi Infula illum decoravit. Septem circiter annis Astensem Ecclesiam sapientissime rexit, et inexorabili fato concessit anno 1594. Super eius tumulo haec verba leguntur:

HIC · IACET

FR · FRANCISCVS · PANIGAROLA

EPISCOPVS · ASTENSIS

CVIVS ANIMA · IN · BENEDICTIONE · SIT.

Multa scripsit sapientissimus hic vir, inter quae 1^o. — *Lo Specchio di guerra*; 2^o — *Sermoni sopra la prima parola in croce*; 3^o — *Sinodi tenuti in Asti*; 4^o — *Esposizione letterale e mistica della Cantica*; 5^o — *Modo di comporre una predica*; 6^o. — *Dichiarazione dei Salmi di Davide*; 7^o — *Dichiarazioni letterali delle lamentazioni di Geremia*; 8^o — *Compendio della prima parte degli Annali del Baronio con le annotazioni*; 9^o — *Prediche*; 10 — *Omellie sopra i Vangeli*; 11 — *Disputazioni Calvinistiche*; 12 — *La vita di S. Pietro Apostolo*; 13 — *Il Predicatore*; et alia plurima.

FR. HIERONYMUS LINGUA a Montereali, qui primum Theologiae in Parisiensi Universitate Professor fuit, mox Dignensis Ecclesiae Episcopatum obtinuit ad an. Cristi 1593. — *Ex Casalis tom. 10. pag. 754.*

FR. IOANNES Ligur, qui post exactum inter Franciscuales religiosas vitae curriculum Albinganensibus Infulis a Ioanne XXII. an. 1321. insignitus fuit. — *Ex Wad. et ex Britio.*

FR. LEONARDUS TAGLIAFERRO ex Marchionibus Cevae, doctrina clarus, qui Bondanensis Episcopus creatus Orthodoxam fidem contra Calvinistas strenue sustinuit.

FR. NICOLAUS GUASCONE, qui praeter alia, queis in Ordine laudabiliter functus est, officia, Procurator Generalis etiam extitit. Mox a Nicolao IV. ad Albinganensem Episcopatum evectus est.

FR. PORCHETTUS SPINULA, nobilitate, doctrinaque insignis, cuius merita cum intra Claustri septa minime caperentur, ad Ianuensem Ecclesiam regendam a Bonifacio VIII. assumptus est; et ab eodem Pontifice ad componenda Carolum Siciliae Regem inter et Ianuenses dissidia delectus fuit. — *Ex Wad. et ex Britio.*

FR. PHILIPPUS DE BUSCHETTIS, qui meritis, et scientia clarus ad Mutinensis Cathedrae fastigium evectus fuit.

FR. PAULUS BRITIUS Braidensis, qui adhuc adolescens inter Minores de Observantia cooptatus est. Philosophiae, ac Theologiae cursum Neapoli complevit; Cunei, et Taurini Theologiam publice docuit. Ministeratus officio in hac Provincia laudabiliter functus est; Definitoris Generalis Dignitate in Comitibus Toletanis auctus fuit; Victorii Amedei Sabaudiae Ducis Theologus, et consiliarius extitit. Tandem sub Urbano VIII. Albensis Episcopus fuit consecratus. Edidit an. 1647. huiusce D. Thomae Provinciae Historiam, pluries a nobis citatam; ac latine reddidit Historiam Italiae occiduae a Baldessano scriptam.

FR. PETRUS MARINUS SORMANO, Episcopus Viglevanensis, de quo supra, pag. 88. — 89.

FR. PETRUS CRAVERI a Moretta, qui Seraphicum Ordinem in hac Divi Thomae Provincia professus Philosophicis, ac Theologicis studiis sedulam navavit operam, ac ubi primum ad infideles convertendos se a Deo vocatum sensit, patriam deseruit, et Romae linguarum studio vacavit. Mox in Syriam, Palestinam, atque Aegyptum missus multos Christo lucrificavit. A Pio VI. ad evellendos errores inter Maronitas ad Libanum gliscentes delectus fuit; quod salebrosum opus summa cum prudentia, faustoque omine complevit. Dehinc ab eodem Pontifice Episcopus *Enos*

ac Scio renunciatus fuit; postea Smyrnensem Ecclesiam titulo Vicarii Apostolici administravit. Demum an. 1788. ad Ecclesiam Galtellianam, et Nugorensem, quam prudentissime rexit, translatus est. Obiit die 6. Octobris an. 1802.

FR. SERAPHINUS TAVACCIA a Tridino, qui e Seraphicae vitae humilitate ad Episcopalem Regiensis Civitatis honorem evehctus fuit. — *Ex Wad. et ex Britio.*

FR. THOMAS a Novaria Patriarcha Constantinopolitanus electus. — *Ex Wad.*

FR. THOMAS BORELLUS, qui Tarantasiae Episcopus anno 1460. renunciatus, vigilantia et doctrina commendabilem sese praebuit.

MINISTRI, COMMISSARII, ET VICARII GENERALES

EIUSDEM PROVINCIAE.

FR. ALEXANDER ab Alexandria Statyellorum, vir doctissimus, et Magister Parisiensis, qui, Comitibus Generalibus Barcinone anno 1515. celebratis sub Clemente V., ad totius Ordinis regimen assumptus est. Nonnullos etiam libros vulgavit sapientia et eruditione refertos.

FR. ANGELUS CARLETTI a Clavasio (nunc inter Coelites cum Christo regnantes cooptatus), qui ob perspectam ipsius doctrinam, virtutesque insignes Aquilae anno 1472. primum electus fuit Commissarius Generalis Ultramontanus, et rexit annis tribus. Secundo electus fuit ad idem officium Papiæ anno 1478. gubernavitque annis tribus. Rursus anno 1484. apud montem Alvernum tertio renuntiatus fuit Commissarius Generalis Ultramontanus, et tribus annis Seraphicam Familiam rexit. Demum anno 1489. Urbini coactus fuit quarto idem munus subire, quod annis quatuor summa cum prudentia exercuit.

FR. ANTONIUS a Casali Montis-ferrati, vir doctus, facundus et pius, qui primum Procurator Generalis; dein omnium suffragiis totius Ordinis Minister electus est die 15 Iunii an. 1450.

FR. BERNARDINUS a Montecalvo, prudentiae et probitatis fama conspicuus, qui Vicarii Generalis officium an. 1620. assecutus, Cismontanam Familiam biennio gubernavit; cum prius per biennium etiam Procuratoriae Dignitatis munus an. 1618. sibi delatum exercuisset.

FR. BENIGNUS ab Onelia, a Ianua tamen dictus, qui anno 1618. Generalibus Comitibus Salamanticae habitis, in Ministrum Generalem electus, annos octo Ordinem maxima cum laude et incorrupta integritatis fama rexit. Deinde anno 1625. ab Urbano VIII. Summo Pontifice sub Commissarii Generalis titulo Cismontanae Familiae praefectus, ipsam feliciter moderavit. Cum enim maxima prudentia et fortitudine praeditus foret, et regularis Observantiae amantissimus perplura in Italia et in Gallia utiliter, sapienterque disposuit. — *Fusius de eo agit Britius pag. 275.*

FR. BONAVENTURA a Clavaro, qui Patrum suffragiis in Generali Congregatione an. 1571. Romae habita Commissarius Generalis electus fuit, quod munus quatuor annis exercuit.

FR. EVANGELISTA a Gabiano, qui Provinciae Mediolanensis Minister primum, dein Definitor Generalis, mox totius Cismontanae Familiae Commissarius Generalis electus est.

FR. FRANCISCUS a Belgioioso, Commissariatus Generalis dignitatem, quam Romae an. 1613. obtinuerat, triennio tenuit.

FR. GUILLELMUS a Casali, qui cum eximiae probitatis et prudentiae specimen Procuratoris et Vicarii Generalis munere exercendo praeuisset, Generalibus Comitibus Assisii an. 1430. habitis, electus est in Ministrum; et Ordini annos duodecim praefuit. Ter sub eo celebrandis generalibus Capitulis Ordinis Patres convenerunt, Bononiae scilicet, Tolosae, ac Florentiae; ubi tandem an. 1342. obiit, marmoreo tumulo ad scalas Sacelli D. Francisco dicati, Nicolao V. ita iubente, decoratus.

FR. HENRICUS ALPHERUS Astensis, nobilitate generis illustris, ad Seraphicam Familiam regendam vicaria potestate constitutus, mox in Generali Capitulo Florentiae an. 1386. celebrato, Minister Generalis electus fuit. Ordinem rexit annos octodecim. Sub hoc Ministro sex Capitula Generalia celebrata sunt. Obiit Ravennae nonagenarius.

FR. IOANNES BAPTISTA a Levanto, qui Bononiae primum an. 1455., secundo Romae an. 1458., tertio Mantuae an. 1467. ad Cismontanam Familiam vicaria potestate regendam electus est; praefuit alternis vicibus annos septem.

FR. LEONARDUS a Publiciis in Pedemontio, Serenissimae Beatricis Sabaudiae Ducissae a confessionibus, qui defuncto P. Benedicto Genesio Generali Ministro, ac indictis in Conv. S. Francisci Saviliani Generalibus Comitibus an. 1533. Nono Kal. Ian. Vicarius Generalis omnibus suffragantibus votis electus est.

FR. MARTINUS a S. Georgio Ripallensis, qui in Generali Capitulo, quod an. 1385. Patavii celebratum est, omnium consensu totius Seraphicae familiae Minister Generalis electus est. Obiit in Conventu Castri-novi, sui Ministerii triennio nondum peracto.

FR. VINCENTIUS LUNELLIUS, qui ad Generalatus dignitatem evectus Concilio Tridentino etiam interfuit.

PROCURATORES ET DEFINITORES GENERALES

EIUSDEM PROVINCIAE

FR. ANGELUS a Portu Mauricii, qui in Comitibus habitis Salamanticae anno 1553. Definitoris Generalis titulo fuit decoratus.

FR. ANTONIUS de Monelia, ingenii perspicacitate clarus, qui Ordinis Procurator electus imposito sibi munere egregie perfunctus est.

FR. FRANCISCUS a Vigono, primum Definitor Generalis, dehinc totius Ordinis Procurator fuit electus.

FR. FULGENTIUS RIGNON a Taurino, Theologiae Lect. Iub., ex-Secretarius Generalis, ac totius Ordinis Procurator electus an. 1850.

FR. IOANNES BAPTISTA a Ticino, qui in meritorum suorum praemium Generalis Definitor nominatus fuit.

FR. IRENAEUS MARIA BONARDELLI a Taurino, vir ingenio, doctrina, morumque suavitate clarus, qui sacram Theologiam in Ordine docuit; semel et iterum Provincialis Minister fuit electus; Paroeciam S. Thomae Apostoli Taurini tribus supra triginta annis summa cum prudentia rexit, ac Definitoris Generalis honore auctus fuit. Hic Minorita, qui Consodalium suorum, cunctorumque Ordinum laudem, ac benevolentiam promeruit, obiit Taurini die 2. Jan. an. 1800, omnibus desideratissimus.

FR. PAULUS HENRICUS SORSANA a Valgrana, Lect. Iub., et Provinciae iam Minister, qui in Comitibus Rom. per Epistolam Apostolicam in forma Brevis Definitor Generalis renunciatus fuit die 28. Maii an. 1850. — Fato concessit die 4. Febr. an. 1853.

FR. PETRUS a Vercellis, qui Definitor Generalis electus fuit in iisdem Salamanticae Comitibus, in quibus Fr. Angelus a Portu Mauricii eiusdem Provinciae filius eodem honore decoratus est.

VIRI EIUSDEM PROVINCIAE

OB DIGNITATES ET NEGOTIA FELICITER GESTA

ILLUSTRES.

FR. ÆGIDIUS VIALE Crescentinensis, qui spiritualibus Christianorum, qui Bizantii degebant, subsidiis addictus, Pium V. de proposito Selinni Turcarum Imperatoris bellum in Christianos parantis admonuit. Eruditus hic vir in Sorbonica Universitate Doctor fuit, ac scientiae et in publicis rebus peritiae specimen dedit maxime in suis literis ad Pium Pontificem missis. — *Ex Casalis tom. 5., pag. 611.*

FR. ANGELUS GABRIEL a Bennis, qui Emanuelis Philiberti Sabaudiae Ducis a Confessionibus fuit.

FR. ANGELUS BOSIO a Clavasio, quem Carulus III. Sabaudiae Dux, conscientiae suae moderatorem elegit, eique plurima negotia expedienda commisit.

FR. ALPHERUS ab Alba, perspectae prudentiae vir, qui ab Innocentio IV. anno 1245. Astenses et Albenses Cives a censuris, quibus ob iuris Ecclesiastici violationem irretiti erant, absolvendi potestatem accepit.

FR. BONIFACIUS Eporediensis, qui una cum tribus sociis ab Urbano IV. ad Graecorum Imperatorem Paleologum missus fuit, ut eum ad Catholicae Ecclesiae unitatem reduceret.

FR. BALTHASSAR MOLINO Taurinus, qui Emanuelis Philiberti Sabaudiae Ducis Theologus et a consiliis fuit.

FR. BONAVENTURA MOLINO, Missionarius Apostolicus, vir zelo ac sanctitate equidem memorandus.

FR. CONSTANTIUS GRANERI a Lancio Pedemontis, qui Theologus et Confessarius Caroli Emanuelis I. ac Victorii Amedei I. Sabaudiae Ducum extitit.

FR. FRANCISCUS POZZO Vercellensis, qui Commissarius Apostolicus delectus fuit pro Fabrica S. Petri.

FR. GABRIEL PARELLA , qui Commissarius Apostolicus pro publicatione Bullae Iubilaei anno 1510. electus fuit.

FR. GUILLELMUS a Cherio, Poenitentiarius Nicolai IV. Pontificis Maximi.

FR. HIERONYMUS TORNIELLI a Novaria qui primum Nuntius Apostolicus ad Ethiopiae Regem; mox Vicarius Generalis ac Delegatus Pontificius pro Fabrica S. Petri a Iulio II. anno 1507. selectus est.

FR. MATTHAEUS a Carmaniola pro Fabrica S. Petri Commissarius Subdelegatus anno 1516.

FR. MICHAEL ANGELUS a Pinarolio, qui Confessarius Caroli Emanuelis I. Sabaudiae Ducis extitit.

FR. MICHAEL a Carmaniola ex-Provincialis, ac Definitor Generalis, qui pro Crucjata Subdelegatus Apostolicus fuit.

FR. NICOLAUS a Montecalerio, qui Albensi Episcopo ac Ministro Provinciali Provinciae Ianuensis a Nicolao III. anno 1278. comes datus est, ut unanimes absolutionis beneficium Astensibus Civibus censurarum laqueo irretitis impenderent, eo quod cum Papiensibus in S. R. Ecclesiae detrimentum foedus iniissent.

FR. PETRUS FRANCISCUS a Saviliano, Theologus et Confessarius Victorii Amedei II.

FR. PACIFICUS UMBERTI a Sale Consiliarius fuit Caroli Emanuelis I. quem *Magnum* appellant.

FR. PASCHALIS CODRETTO a Suspitello, qui Orator disertissimus, scriptor Ordinis, atque Notarius Apostolicus extitit.

FR. RUFFINUS ab Alexandria Statyellorum, vir magni consilii merito appellatus, qui Alexandri IV. Capellanus; pro Innocentio IV. in Insubria et apud Venetos Poenitentiarius; pro Alexandro autem in Sicilia legatus fuit. Item Ianuenses censuris obstrictos absolvendi facultate a Nicolao IV. donatus fuit.

FR. SYGISMUNDUS a Corgnato, qui Concionator celeberrimus extitit, atque Caroli Emanuelis II. Consiliarius.

EIUSDEM PROVINCIAE

SCRIPTORES ATQUE DOCTORES

FR. ANTONIUS Taurinensis, ex pervetusta ac nobilissima Barberinorum familia ortus, qui elegantissimum librum edidit — De Ecclesiastica immunitate.

FR. ANTONIUS Monellianus Commentarios in mysticam B. Dionysii Theologiam, necnon librum, cui titulus — Sursum corda — composuit.

FR. ANTONIUS a Vercellis, Concionator Apostolicus celeberrimus, duplex Quadragesimale scripsit, et de Virtutibus tractatum vulgavit.

FR. ANTONIUS BALOCHIUS Vercellensis, Quadragesimales conciones, et opusculum — De duodecim Christiani fidei Mysteriis — edidit.

FR. ANTONIUS STELLA Vercellensis, qui parvulis ut inserviret, Grammaticae rudimenta composuit.

FR. ASTESANUS ASTENSIS, praeter innumera, quae desiderantur, volumina, Confessariorum usui Summam edidit, quae ab Auctore Astensanae nomen accepit.

FR. ANTONIUS ROMAGNANUS insignis Concionator, typis vulgavit res gestas, ac virtutes B. Georgii Oppezzi a Vigono. Obiit in Conventu Salutiarum anno 1648.

FR. ANASTASIUS FURNO a Costiliolis Astarum, scriptor Ordinis, qui opus composuit probatissimum — *Istruzioni morali dirette ai mercanti e negozianti, vol. 4. in quarto* — *Il pregio della cristiana mon-
dezza* — item — *Examen Ecclesiasticum* — et alia opera moralia.

FR. BAPTISTA de Salis, Summae auctor fuit, quam Baptistinam appellant.

FR. BARTHOLOMAEUS NEBBIO a Novaria, Poeta haud certe contemnendus, cuius nonnulla poemata reperiuntur in quadam collectione Bononiae vulgata, cui titulus — *Poesie greche, latine e volgari*.

FR. BENCIUS DE GUASCHIS ab Alexandria, qui saeculo decimo tertio Minoritarum Guardianus fuit in Civitate Aquensi. Is Chronicon scripsit satis probatum, quod longo aevo desideratum fuit. Hoc opus tandem detectum fuit inter Manuscripta Bibliothecae Ambrosianae a Doctore Bugatio, qui illud typis mandavit anno 1783. — *Ex Casalis — Dizionario geografico, vol. 1. pag. 196.*

FR. BERNARDINUS a Crescentino, Theologiam in Conventu Min. Obs. S. Mariae Angelorum Taurini docuit. Huius prudentissimi viri opera reformata sunt Canobii statuta, quae postea a Comite Borromaeo approbata sunt.

FR. BONAVENTURA RAPICCIA a Castro Alpherio, Dioecesis Astensis pago, librum edidit, in quo mutuis interrogationibus et responsionibus de Conscientiae casibus scite disceptatur.

FR. BONIFACIUS a Ceva, qui tanta prudentiae et integritatis fama excelluit, ut e Subalpinis in Galliam vocatus illius etiam Regni Provinciis administrandis praeficeretur. Praeter eruditum Quadragesimale sanctissimas etiam scripsit constitutiones. Obiit Parisiis 1507. — *Ex Britio.*

FR. CAROLUS BRESSANI ab Aquis, Iuris Professor in Taurinensi Universitate plures annos extitit. Mox Provincialis Minister in Albania renuntiatus fuit. Dehinc Iaderae decessit in bona senectute anno 1725. Scripsit sat commendatum Quadragesimale, ac Commentarios in horas Canonicas, earumque versionem.

FR. CAROLUS EMANUEL DE-GREGORY, nobili genere ortus, et Divi Thomae Provinciae alumnus, qui Theologiam Fani docuit, Minister Provincialis et Sanctae Inquisitionis Officii Consultor fuit. Inter huiusce viri doctrinae Opera, haec praecipue excellunt: 1°. *L'antichità di Crescentino*; 2°. *Memorie Storiche della Chiesa e Convento antico di S. Maria delle Grazie; e del Convento moderno, e Chiesa di S. Francesco della Città di Crescentino*; 3°. *Idea di un nuovo discorso sopra l'Origine della Casa di Savoia consegnata ai Regi Archivi il 17 maggio 1773*; 4°. *Vita di S. Tommaso.*

FR. CLEMENS VICTORIUS a Monteregali, in patria historia versatus, qui in eam complures eruditissimas dissertationes elucubravit.

FR. DIDACUS BONO a Carmaniola, qui picturae arte excelluit. Servantur Carmaniolae, et alibi eiusdem penicilli monumenta. — *Casalis, tom. 3. pag. 612.*

FR. DEODATUS TOSELLI a Cuneo, qui auctor est libri, cui titulus — *Notizie fisico-storico-morali conducenti alla salvezza dei bambini nonnati ecc. raccolte dal P. Diodato da Cuneo, Min. Oss. della Provincia di S. Tommaso in Piemonte.* — Idem Deodatus, sub nomine Attali Ecu- dini, anno 1759. edidit Salutis pretiosam epistolam, in qua disserit de necessitate salutis providendi infantium nonnatorum, aut abortivorum. Edidit etiam — *Idea di una non meno santa che nobile Donna, estratta dalla vita della Venerabile (or Beata) Paola Gambarà Costa, Contessa di Bene.* — *Ex eodem Casalis.*

FR. DIONYSIUS SCOPELLO a Palatiolo, iam Guardianus Min. Obs. Fontaneti, manuscriptum reliquit Chronicon latinum in Seraphicam Reli- gionem, quod in Conventu Pulchrimontis iam asservabatur. Obiit 21. Martii 1821. — *Ex eodem Casalis — Dizionario Geografico ecc. tom. 14. pag. 70.* —

FR. DOMINICUS a Ponzono, Aquensis Dioeceseos, qui habitum Ob- servantium Ianuae suscepit. Vir in humanis literis, ac poësi eruditus, Philosophiam etiam ac Theologiam summa cum laude docuit. Ab Angelo de Clavasio totius Ordinis Vic. Gen. Censor librorum primum, mox pro expeditione in Turcas anno 1481. Orator constitutus est. In hac missione Dominicus zelo, eloquentia ac dexteritate claruit. Perplura etiam scripsit, inter quae — in Psalmos David Commentarium. — Obiit sub initium saeculi XVI.

FR. EMANUEL GIACOMELLI a Pinarolio, qui nonnulla poëmata italico, pauca latino idiomate composuit. In Oratione a Fr. Angelico Salvio de Schallenghis pro Episcopo Salutiarum Ancina composita et typis Taurini an. 1622. edita nonnullos lyricos versus Emanuelis Gia- comelli reperies. Duo pariter ipsius epygrammata leguntur in Neomicro- cosmo Fr. Guerilli.

FR. FRANCISCUS DE ABBATIBUS Astensis, qui annuis sacris ser- monibus editis, doctum quoque Quadragesimale connexuit. — *Ex Britio pag. 288.*

FR. FRANCISCUS a Valentia ad Padum, Aristotelicae Metaphisicae nodos pulcherrimarum Quaestionum subtilitate dissolvit. — *Ex Britio ibidem.*

FR. FRANCISCUS MAYRONUS dictus a Mayrono Sabaudi Ducatus oppidulo, sub Ioanne Scoto tantum profecit, ut brevi inter laureatos

Acuti et Illuminati Doctoris titulo gauderet. Sorbonae Parisiis instituendae auctor fuit. Extant innumeri, iique insignes illius ingenii partus: — Comment. in quatuor Sent. libros; — De veritatibus S. Augustini liber unus; — Variarum Quaestionum alter; — Epitome super libros naturales Aristotelis; — Quadragesimale; — Annuae postillae; — Codices super Decretales — et eruditissimae in totam S. Scripturam adnotationes. Vir doctissimus aequae ac pius a S. Elzeario pro Confessario fuit electus. Meritis gravis Placentiae decessit anno 1325. — *Ex Britio ibidem.*

FR. FULGENTIUS MARIA RICCARDI Taurinus, Lector Iub., ac Provinciae S. Thomae Minister, edidit — *L'Anno Franceseano, ossia Vite dei Fratelli e delle Sorelle del Terz' Ordine, vol. 2; — Riflessioni sopra la Religione.* — Decessit Taurini anno 1806. — *Ex Biografia Serafica pag. 856.* —

FR. FRANCISCUS BONIFACIUS, iam IOANNES GALEATIUS ex Marchionibus Cevae, qui insignis Iuris consultor, eloquentissimus concionator, Minister Provincialis, et in Gallia Generalis Commissarius extitit. Nonnulla opera typis vulgavit, ob quae docti scriptoris famam est assecutus. Obiit anno 1507.

FR. FRANCISCUS ANTONIUS BERTELETTI a Gattinaria, qui adhuc adolescens in Conventu Aracoelitano Seraphicum habitum induit. In patriam redux studiosae iuventuti in Conventu S. Thomae praefectus fuit. Inter discipulos habuit Fr. Bernardinum Bollati, postea Bugellensem Episcopum. Eximius fuit concionator, et scripsit etiam — *Historiam Conv. S. Francisci Gattinariae.* — *Ex Casalis, — Dizionario Geografico, tom. 7., pag. 274.*

FR. FRANCISCUS MARIA CUGIANO a S. Georgio in Canapitio, manuscriptam reliquit vitam Ven. Servi Dei Bartholomaei a Salutiis. — *Ex Casalis ibidem.*

FR. GASPAR PORPORATUS Patritius Pinaroliensis, Missionarius Apostolicus fuit contra Calvinistas in vallibus Caralii. Scripsit Manuale, sive Directorium pro usu Missionariorum. Obiit anno 1631.

FR. HIERONYMUS HERMENEGILDUS BLANCO a Crescentino, Philosophiam in patrio Conventu docuit; Arte sculptoria insignis etiam fuit, librum quoque ad usum Ministrorum Provincialium scripsit circa annum 1682.

FR. HIERONYMUS VIALE a Crescentino, magni nominis orator, qui multa scripsit, quae prae temporum iniuria periire.

FR. HONORIUS MARENTINI a Summaripa-Nemoris, Philosophiam in Conventu S. Francisci Vineae Venetiarum, Theologiam Neapoli docuit. Insignis Concionator fuit, a viris scitis ob eius eloquentiam summopere commendatus. Obiit Taurini in Conventu S. Thomae. Varia eius scripta edita sunt, inter quae Sermo sacer in laudem D. Secundi Astarum Patroni; Oratio sacra, moralis, politica habita in Aula Senatus Lucensis Reipublicae; Vita B. Angeli a Clavasio; Veritas Indulgentiae Portiunculae demonstrata contra opus cuiusdam Ticinensis Anonimi, duplici dissertatione vindicata a duplici errore, quem Anonimus in dicto opere supposuerat.

FR. HUGO a Castronovo, Commentarios edidit in Theologiam, et quatuor libros Sententiarum; acute etiam de finali iudicio et de Antichristo disseruit. — *Ex Britio, pag. 290.*

FR. IACOBUS ab Alexandria, in naturalem scripsit Aristotelis Philosophiam, ac Quadragesimales Sermones vulgavit.

FR. IACOBUS BRANCUS Albensis, conclusiones in omnes Aristotelis libros composuit, superadditis quibusdam de coelo et mundo, de generatione ac corruptione libellis. — *Ex Britio, pag. 290.*

FR. IACOBINUS MALAFOSSA a Bargis, qui cum Patavii Methaphisicam legeret, quaestionem de subiecto metaphisicae vulgavit anno 1560. — Alia quoque elucubravit super Sententias et Epistolas Sancti Pauli; ac dissertationem in Orationem Dominicam. — *Ex Casalis — Dictionario Geografico, tom. 17, pag. 728.*

FR. INNOCENTIUS ROMERO a Carmaniola, libros conscripsit asceticos, qui maxime commendantur.

FR. INNOCENTIUS a Crescentino, electus fuit Definitor in Capitulo Crescentini die 24. Maii an. 1609 celebrato. Franciscus Panigarola illum apud se Astar vocavit, ac suum Poenitentiarium fecit; Britius et alii Historici illum maxime commendarunt. De ipso habemus pretiosum opusculum anno 1610. Taurini editum.

FR. IOANNES a Casali, Theologiae Doctor, ingenii sui perspicacitatem doctissimis in Philosophiam ac Theologiam questionibus editis aperuit,

quas elucubravit in Conventu S. Mariae Angelorum Casali. Gregorius XI. illum ad Fridericum Siciliae Regem Nuntium misit. — *Britius*.

FR. IOANNES BRITIUS Doctor Parisiensis, qui Concilii Generalis an. 1453. sub Eugenio IV. Constantiae celebrati Decretorum Vindeae fuit acerrimus, ac de illorum iustitia et validitate erudite tractavit. — *Ex Wad. et Britio*.

FR. IOANNES BAPTISTA BORDI a Palatiolo, qui primum Philosophiam, mox Theologiam Tridini et alibi docuit. Scripsit asceticum opus, illudque a censuris Critici Anonimi an. 1796. vindicavit. Obiit an. 1810.

FR. LUCIUS FERRARIS ab Alexandria Statycellorum, qui fuit insignis Canonista, ac scripsit Bibliothecam Canonicam, Iuridicam, Moralem, ac Theologicam, qua quisque magna cum utilitate uti potest. Hoc laborioso opere de sacris studiis optime meritus est hic Minorita.

FR. LUDOVICUS TANA Cheriensis, S. Aloysii Gonzagae affinis, librum scripsit, quem Speculum vitae Religiosae nuncupavit.

FR. LUDOVICUS GUERILLUS a Pinarolio, fuit Minister Provincialis, ac decessit Taurini centenarius. Dum Pinarolii in S. Mariae Angelorum Conventu degeret, nonnulla edidit opera, quae profundae illius in Divinis doctrinae fidem faciunt. Taurini vero anno 1624. librum, cui titulus — Neomicrocosmos, sive novus parvus mundus — vulgavit.

FR. MARCUS a Summaripa-Nemoris, Theologus, ac magni nominis Concionator, qui floruit saeculo XV., ac doctum Quadragesimale praelo mandavit.

FR. MATTHAEUS GEORGIUS Marchionis de Carretto filius, qui cum circa annum 1413. Assisii et Perusii virtute et doctrina floreret, multis a Ioanne XXIII. privilegiis honestari, et a Religione inter antesignanos ob innumera eius scripta recenseri meruit. — *Ex Waddingo et Britio*.

FR. NESTOR DIONYSIUS a Novaria, qui unus ex primis Biographis fuit, et Dictionarium alphabetico ordine digestum elucubravit; quo opere usus est Calepinus. — *Ex Casalis — Dizionario Geografico, tom. 12. pag. 551.*

FR. PHILIPPUS a Montecalerio, pleraque pro Fidei utilitate et concionatorum instructione conscripsit; et praeter Quadragesimale, Sermones

etiam de Sanctis et de Tempore, et Commentarios in Sacras Literas composuit.

FR. PHILIPPUS a Pancalerio, Taurinensis Dioecesis, ex familia de Ribottis, Theologus ac Concionator eximius a Clemente VIII. Praefectus constitutus est Missionum Apostolicarum in Vallibus Subalpinis; quo in munere multos Haereticos Catholicae Ecclesiae restituit. Hic in Castro S. Germani publice disputavit de praesentia reali Christi in Eucharistia, et de Sacrificio Missae cum Davide Rostagno Haeretico Ministro, qui illius rationibus victus una cum aliis nobiles Calvinistas ad Ecclesiae sinum rediit. Haec disputatio typis edita fuit; vulgata pariter est eius expositio Dominicae Orationis in quatuor partes distributa pro unoquoque Scripturae sensu; nec non expositio Salutationis Angelicae.

FR. PELLEGRINUS FURNO a Taurino, vitam scripsit D. Paschalis Baylon; — Catalogum Sanctorum ac Beatorum Trium Ordinum S. P. Francisci; — Flores humilitatis in vitam et miracula D. Didaci. Decessit Taurini an. 1727.

FR. PETRUS DE ALCANTARA ARPINO a Vigono, Philosophiam Varalli, Theologiam Taurini docuit. Literarum ac poëseos cultor fuit, et complurium illustrium Doctorum amicitiam promeruit. Typis edidit Taurini parvae molis poema, cui titulus — *Tutta Umbria, Monumento delle glorie Francescane*, — cum adnotationibus; Vitam quoque B. Paulae Gambarae Bennarum Comitissae; quod tamen opus complere haud potuit immatura morte praereptus anno 1847.

FR. PETRUS MARTYR PASTERA ab Astis, ex-Defin., qui licet inter huiusce Provinciae Scriptores haud sit recensendus, cum nulla literarum opera scripserit, memoratu tamen dignus equidem est. Fuit enim Pharmacopola insignis, Officinae medicamentariae in Valetudinario S. Thomae Conventus restitutor, et vir simplex, rectus, timens Deum, et omnibus carus. Iustorum mortem obiit die 28. Octobris 1840., et ipsius memoria in hac Divi Thomae Provincia longum in aevum perstabit.

FR. ROBERTUS BOLLANO a Cervasca apud Cuneum, primo Theologiam docuit; postea Visitor Provinciae S. Saturnini in Sardinia; demum Brevi Apostolico eiusdem Provinciae Minister a Benedicto XIV. designatus fuit, eamque sapienter tribus annis gubernavit. Typis edidit vitam B. Paulae Gambarae. Fato cessit Fossani anno 1768.

FR. SICARDUS a Clavasio, qui municipales suae Patriae leges latino idiomate conscripsit. — *Ex Britio*.

FR. SALVATOR CADANA Taurinensis, Provinciae S. Thomae Minister, ac R. Cels. Sabaudiae Ducis Theologus, qui Hetruscae linguae peritissimus, in praecipuis Italiae urbibus eloquentiae suae specimina dedit sacris suis concionibus. Edidit sequentia opera: — Quadragesimale Montereali 1636. impressum; — Sanctuarium commune, editum Taurini 1644; et Mariale 1639; — *La Corte per l'Advento*; — *I dubii scritturali*; — *I saggi politici*; — *Il Segretario*. — Alia quoque vulgavit, inter quae — Modus recipiendi legata in Ordine Seraphico, Taurini 1644; — Regnum hominum et Angelorum pro reprobatione et praedestinatione; — Eridani legatio; — *Il Principe avvisato*; — *Il Principe regnante*; — Collectio Bullarum ac Decretorum.

FR. THEOBALDUS a Vigono, qui doctissimum in primum et secundum sententiarum librum compendium scripsit.

FR. THOMAS OBICINUS a Novaria, Custos sodalium suorum Aleppi aliquando fuit. Syriam, Palestinam, Mesopotamiam aliasque remotas regiones invisit. In difficilioribus Orientis idiomatibus versatus Arabicam Grammaticam edidit, Thesaurum Arabico-Syro-latinum, et alia complura.

FR. UBERTINUS a Casali, scripsit Tractatum de Spectaculis Ecclesiae; ingens quoque volumen edidit Arborem Vitae Crucifixi ad universos Christifideles nuncupatum, et alia quaedam. Apud Ioannem XXII. accusatus absolutus rediit anno 1330. — *Ex Britio*.

SERIES

Praelatorum, qui Ministeriatus officio functi sunt in hac Divi Thomae Apostoli Provincia a prima sua erectione, quae, CAROLO EMANUELE I. Sabaudiae Duce suppliciter deposcente, GREGORIO XV. Pont. Max. benigne annuente, et Rev.^{mo} P. BENIGNO a Ianua Seraphicum Ordinem moderante, facta est anno 1622.

	NOMEN, COGNOMEN, PATRIA, GRADUS	LOCUS	DIES MENSIS	ANNUS
		ELECTIONIS		
1	Adm. Rev. P. FRANCISCUS BLASSONIUS a Saviliano Sacrorum Can. Lector, ex-Minister Prov. S. Didaci, electus Praesid. Ill. ^{mo} et Rev. ^{mo} D. D. FRANCISCO COSTA Savonensi Episcopo, Sedisque Apost. Nuntio.	Taurini	4 Augusti	1622
2	Adm. R. P. ANGELUS MELANI ab Intraquis, Scriptor Ordinis, S. Didaci Prov. ex-Custos. Minister Provincialis Romae renuntiatus ab Urbano VIII. die 16. Martii 1625., ac promulgatus	Saviliani	9 Iulii	1625
3	Adm. Rev. P. ANGELUS GABRIEL BRITIUS a Brayda, Concionat Gen., S. Theol. Lect., in Prov. Brixiensis Commiss. Visit, Minister Provincialis Romae renuntiatus ab Urbano VIII. die 22. Iunii 1628., ac postea promulgatus .	Taurini	14 Iulii	1628
4	Adm. Rev. P. PAULUS BRITIUS a Brayda, S. Theol. Lect. Iub, Scriptor Ordinis, Victorii Amedei Sabaudiae Ducis Theol., et Consiliarius, ac Def. Gen., electus Praes. adm. Rev. P. DIDACO a Tridino, Commiss. Visitat.	Saviliani	30 Iulii	1632
5	Adm. Rev. P. LUDOVICUS GUERILLUS a Pinarolio, S. Theol. Lect. Gen., Scriptor Ordinis, Carolo Emanuelli I., et Victorio Amedeo I. acceptissimus, Minister Prov. Romae renuntiatus ab Urbano VIII. die 28. Martii 1636, et promulgatus Praesid. Adm. Rev. P. IOSEPHO BAPTISTA de Uzzano Prov. Tusciae, Commiss. Visitat.	Taurini	9 Maii	1636

	NOMEN, COGNOMEN, PATRIA, GRADUS	LOCUS	DIES MENSIS	ANNUS
		ELECTIONIS		
6	Adm. Rev. et Ven. P. LUDOVICUS A CRUCE Vercellensis, S. Theol. Lect. Gen., Scriptor Ordinis, Minister Provincialis renuntiatus ab Urbano VIII. die 21. Septembris 1638., ac postea promulgatus Praesid. Adm. R. P. ANGELO FRANCISCO a Ianua, Commiss. Visitat.	Taurini	18 Octob.	1638
7	Adm. Rev. P. FRANCISCUS ANTONIUS VEGNABEN a Monte-Regali, S. Theol. Lect. Gen., Minister Provincialis institutus ab Urbano VIII. die 29. Octob. 1642., promulgatus vero	Taurini	28 Novem.	1642
8	Adm. Rev. P. SALVATOR CADANA a Taurino, Ordinis Scriptor Clariss., Regiae Celsitudinis Theol., et Consiliarius, electus Praesid. Adm. Rev. P. FABIO PAPAZZONIO Bonon., Commiss. Visitat. Gen.	Taurini	18 Iunii	1646
9	Adm. Rev. P. ANGELUS FRANCISCUS GUIDUS a Caramanea, Theol. Lect. Gen., electus Praesid. R. P. DANIELE DONGO, Vicario Gen.	Taurini	6 Augusti	1649
10	Adm. R. P. IUNIPERUS MANASSERO a Bennis, Theol. Lect., et Concionat. Gen., electus Praesid. Adm. Rev. P. FRANCISCO a Gemmano Provinciae Bononiensis, Commiss. Visit.	Taurini	10 Iunii	1652
11	Adm. Rev. P. FRANCISCUS GASTINO a Cuneo, S. Theol. Lect. Gen., electus Praesid. Adm. R. P. BARTHOLOMAEO de Cocchia Prov. Tusciae, Commiss. Visit.	Taurini	9 Novem.	1655
12	Adm. R. P. AUGUSTINUS GABRIEL PERAZZONO a Saviliano, S. Theol. Lect. Gen., electus Praes. Adm. Rev. P. INNOCENTIO a Roma, Commiss. Visitat.	Taurini	18 Martii	1659
13	Adm. R. P. ANGELUS FRANCISCUS BOSCHETTI a Cherio, ab Alexandro VII. iustitutus die 19. Decemb. 1664., promulgatus Praesid. Adm. Rev. P. MALDOTO a Lauda Prov. Mediol., Commiss. Visit.	Taurini	6 Ianuarii	1662
14	Adm. Rev. P. THOMAS a Roccavilione, Lect.			

	NOMEN, COGNOMEN, PATRIA, GRADUS	LOCUS	DIES MENSIS	ANNUS
		ELECTIONIS		
	Iubil. ob mortem praedecessoris, quae contigit die 2. Oct 1662., electus Praes. Adm. R. P. ANTONIO CATTANEO Mediol., Prov. Commiss. Visitat.	Astis	3 Ianuarii	1663
45	Adm. R. P. ARCHANGELUS QUAGLIA a Monteregali, Theol. et Concionator Gen., electus . Praesid. Adm. Rev. P. CLEMENTE DOLERA a Monelia, Defin. Gen. Commiss. Visit.	Monteregali	21 Octobr.	1665
46	Adm. Rev. P. IOSEPH PONZIO a Cuneo, Theol. Lect. Gen. et Concionat. eximius, electus . . Praes Adm. R. P. HENRICO a Venetiis, Commiss. Visitat., qui postea in Comitibus Gen. Valisoletanis inter Def. Gen. cooptatus est die 24 Maii 1670.	Salutiis	12 Octobr.	1668
47	Adm. R. P. FRANCISCUS BERNARDINUS FERRERI a Monte-Regali, Lect. Gen. Theol., electus . Praesid. Rev. P. FRANCISCO MARIA RHINI Ministro Gen. Ord., qui postea Syracusanis Infulis decoratus fuit.	Taurini	40 Octobr.	1671
48	Adm. Rev. P. IOSEPH ANTONIUS PONTEVICCIO a Bennis, Theol. Lect. Gen. a Clemente X. die 43. Feb. an. 1675. renuntiatus, et promulgatus Praesid. Adm. Rev. Pat. IOANNE BAPTISTA de Fugnano, Prov. Bonon., Commiss. Visitat.	Vercellis	23 Aprilis	1675
49	Adm. R. P. IOSEPH VALLE a LOMBRIASCO, Conc. Gen. Victorii Amedei II. a consiliis electus . Praesid. Rev. Patre FRANCISCO DE NICOLIS Cremonensi, ex Ministro Gen., qui a Carolo II. Rege Catholico Pro-Rex Siciliae designatus postmodum fuit.	Astis	23 Augusti	1678
20	Adm. Rev. P. IOSEPH PONZIO a Cuneo, Def. Gen. iterum electus Praesid. Adm. R. P. ALOYSIO MARIA FAGNI, Prov. Venet., Commis. Visitat.	Crescentini	46 Iulij	1681
21	Adm. Rev. P. GABRIEL GROSSO ab Intraquis, Theol. Lect. Gen., electus Praesid. Adm. Rev. P. FRANCISCO GATTINARA Mediol. Defin. Gen. et Comm. Vistat.	Saviliani	9 Maii	1684

	NOMEN, COGNOMEN. PATRIA, GRADUS	LOCUS	DIES MENSIS	ANNUS
		ELECTIONIS		
22	Adm. Rev. P. MICHAEL ANTONIUS ZUCCARELLI a Vigono, Lect. Iub., Minis. Prov. Romam profecturo, electus Vicarius Provinc. . . . Praesid. ante discessum suum eodem Ministro Provinciali, qui in itinere fato correptus est.	Taurini	17 Septem.	1685
23	Adm. R. P. PAULUS FRANCISCUS BERGAMINI a Monteforti, Conc. Gen., Lect. Iub., electus . Praesid. Adm. Rev. P. MICHAELE ANGELO a Candia, Commis. Visitat., qui postmodum Fragari in Dalmatia Episcopus renuntiatus fuit.	Astis	20 Novem.	1686
24	Adm. R. P. ISIDORUS a Bugella, Théol. Lect. Gen., electus Praes Adm. Rev. P. GABRIELE a MONILIA Commis. Visitat.	Taurini	20 Novem.	1689
25	Adm. R. P. LUDOVICUS GAUDIMARI a Cuneo, Theol. Lector Gen., electus Praes. Adm. Rev. P. SIXTO ab Oflianello, ex-Minis. Prov. Brixiae, Commiss. Visitat.	Astis	19 Ianuarii	1693
26	Adm. Rev. P. PAULUS FRANCISCUS BERGAMINI, qui supra pro secunda vice electus Praes. Adm. Rev. P. LAURENTIO a Triora, Commiss. Visitat.	Monteregali	23 Ianuarii	1696
27	Adm. Rev. P. MANSUETUS QUARCIOTTI a Gattinaria, Conc. et Lect., electus Praes. Adm. R. P. MICHAELE ANGELO de Horrentia, Ordin. Procurat. General., Commiss. Visitat.	Astis	2 Septem.	1698
28	Adm. Rev. P. PETRUS FRANCISCUS SOLERE a Saviliano, Lect. Iub. Regiae Celsitudinis Theol. et Consiliarius, in locum Ministri Provincialis die 9. Dec. an. 1698. vita functi suffectus, et Vicarius Prov., electus Praes. Adm. R. P. PAULO FRANCISCO BERGAMINI, qui supra.	Taurini	13 Decem.	1698
29	Adm. R. P. IOSEPH BAPTISTA BONAFIDE a Taurino, Lect. Iub., electus Praesid. Adm. Rev. P. MAURITIO CANZIO, Prov. Mediol., Commiss. Visitat.	Saviliani	3 Octobris	1701

	NOMEN, COGNOMEN, PATRIA. GRADUS	LOCUS	DIES MENSIS	ANNUS
		ELECTIONIS		
30	Adm. R. P. PAULUS FRANCISCUS BERGAMINI, qui supra, pro tertia vice electus . . . Praes. Adm. R. P. IOSEPHO DOMINICO de Cutiliano, Commiss. Visitat.	Braydae	13 Aprilis	1704
31	Adm. R. P. CAROLUS FRANCISCUS BRIZIO a Brayda, Theol. Lect. Gen., electus . . . Praesid. Adm. Rev. P. CAROLO IOSEPHO a Summa, Prov. Mediol., Lect. Iub., ex - Min., et Commiss. Visitat.	Crescentini	6 Iunii	1707
32	Adm. Rev. P. LUDOVICUS GUADIMARI a Cuneo, qui supra, pro 2 ^a vice electus . . . Praesid. Adm. R. P. IOSEPHO ANTONIO CAVEDO a Cremona, Prov. Mediol., Lect. Iub., ex - Min. Commiss. Vistat., qui postea Episcopus Novocomi renuntiatus fuit.	Cherii	30 Novem.	1709
33	Adm. R. P. IOSEPH BAPTISTA SILLANO a Vigono, Lect. Iub., Conc. Gen., electus . . . Praes. Adm. R. P. ANGELO ab Alexandria, ex - Min., Commiss. Visitat.	Taurini	23 Octobr.	1712
34	Adm. R. P. HIERON. HERMENEGILDUS BLANCO a Crescentino, Theol. Lect., electus . . . Praes. Adm. R. P. IOSEPHO BAPTISTA a Melegnano, ex - Min., Commiss. Visitat.	Taurini	26 Decem.	1715
35	Adm. R. P. LUDOVICUS GUADIMARI a Cuneo, qui supra, pro 3 ^a vice electus . . . Praes. Adm. R. P. BASSANO a Lauda, Lect. Iub., Commis. Visitat.	Taurini	6 Augusti	1718
36	Adm. R. P. FULGENTIUS MARIA GARIGLIO a Taurino, Lect. Gen. Theol., electus . . . Praes. Adm. R. P. RAYNUTIO a Parma, Lect. Iub., ex - Min., et Commiss. Visitat.	Taurini	12 Maii	1721
37	Adm. R. P. IOSEPH BAPTISTA SILLANO a Vigono, qui supra, pro 2 ^a vice electus . . . Praes. Adm. R. P. BONAGRATIA a Mediolano, Lect. Iub., ex - Minist., et Commis. Visitat.	Taurini	22 Maii	1724
38	Adm. Rev. P. MICHAEL ANGELUS TRIMAGLIO a Cuneo, Theol. Lect. Gen., electus . . .	Taurini	27 Aprilis	1727

	NOMEN, COGNOMEN, PATRIA, GRADUS	LOCUS	DIES MENSIS	ANNUS
		ELECTIONIS		
	Praes. Adm. R. P. THOMA a Cento, Prov. Bonon., Lect. Iub., ex-Min., et Commis. Visitat.			
39	Adm. Rev. P. PAULUS FRANCISCUS GABUTI a Monte-forti, Conc. Gen., Lect. Iub., electus . Praes. Adm. R. P. ANTONIO a Scutari, Prov. Candiae, Minist. et Commiss. Visitat.	Taurini	7 Maii	1730
40	Adm. R. P. ARCHANGELUS BERNEZZI a Vigono, Conc. Gen., Lect. Iub., electus Praes. Adm. R. P. SALVATORE Prov. Seraph., Lect. Iub., ex-Minis, et Commis. Visitat.	Taurini	17 Maii	1733
41	Adm. R. P. PHILIPPUS FALCETTI a Vigono, Conc. Gen., Lect. Iub., electus Praesid. Adm. R. P. LUDOVICO a Carcano, Prov. Mediol., Lect. Iub., ex-Secret. Gen., et Commis. Visitat.	Taurini	15 Iulii	1736
42	Adm. Rev. P. IRENAEUS BAUDERUS a Brayda, Lect. Iub. renuntiatus a Clemente XII. die 13 Iunii 1739. promulgatus Praes. Adm. R. P. IOSEPHO IACOBO de Vallico, Prov. Rom., Lect. Iub., Defin. Gen. et Commis. Visitat.	Taurini	30 Iunii	1739
43	Adm. Rev. P. MICHAEL ANGELUS TRIMAGLIO, qui supra, pro 2. ^a vice electus Praes. Adm. R. P. GUILLELMO de Sospitello, Prov. Vallis Mazzariae in Sicilia, Lect. Iub. ex-Minist. et Commis. Visitat.	Taurini	2 Octobr.	1742
44	Adm. R. P. PAULUS FRANCISCUS GABUTI, qui supra, Ministro Provinciali sponte abdicante, die 5. Feb. 1743., Vicarius Prov. electus . . . Praesid. eodem Ministro, qui abdicaverat.	Taurini	7 Februarii	1743
45	Adm. R. P. THOMAS OPERTI a Brayda, Lect. Sexenn., electus Praes. Adm. R. P. ALOYSIO de Carpo, Prov. Bonon., Lect. Iub. et Commis. Visitat.	Salutiis	20 Iunii	1745
46	Adm. R. P. PHILIPPUS FALCETTI, qui supra, Ministro Provinciali e vivis sublato die 20. Octob. 1746, Vicarius Prov. electus Praesid. Adm. Rev. P. MICHAELE ANGELO TRIMAGLIO.	Taurini	31 Octobr.	1746

	NOMEN, COGNOMEN, PATRIA, GRADUS	LOCUS	DIES MENSIS	ANNUS
		ELECTIONIS		
47	Adm. R. P. PHILIPPUS FALCETTI, qui supra, iterum electus qui postmodum in Gen. Comitiis Romae an. 1750. celebratis, Defin. Gen. renuntiatus fuit. Praesid. Adm. R. P. IOSEPHO AMEDEO PRATIS a Taurino, Prov. Rom., Lect. Iub. et Commiss. Visitat.	Taurini	25 Iunii	1748
48	Adm. Rev. P. CAROLUS EMANUEL DEGREGORI Crescentinus, Lect. Iub., electus Praesid. Adm. R. P. IESUALDO a Florentia, Prov. Tusciae, Lect. Iub., Commiss. Visitat.	Taurini	24 Iunii	1754
49	Adm. R. P. HONORIUS MARENTINI a Summaripa-Nemoris, Conc. Gen., Lect. Iub., Scriptor Ordinis, electus Praesid. Adm. R. P. COLUMBINO Senensi, ex-Minist., Commiss. Visitat.	Astis	27 Iunii	1754
50	Adm. Rev. P. THELESPHORUS BERTOLINO a Monte-alto, Lect. Theol. a Benedicto XIV. die 23. Iulii 1757. renuntiatus, et promulgatus . Praesid. Adm. R. P. CLAUDIO a Mirandola, Prov. Bonon., Lect. Iub., ex-Ministro, et Commiss. Visitat.	Taurini	4 Augusti	1757
51	Adm. R. P. STANISLAUS CERRUTI a Dorzano, Lect. Iub., electus Praes. Adm. R. P. IOSEPHO MARIA a Vedano, Prov. Mediol., Lect. Iub., ex-Ministro, Commiss. Visitat.	Taurini	24 Augusti	1760
52	Adm. R. P. HONORIUS MARENTINI, qui supra, pro secunda vice, electus Praes. Adm. R. P. CAROLO FRANCISCO FARINA a Melegnano, Prov. Mediol., Concion. Gen., Lect. Iub., Commiss. Visitat.	Taurini	5 Septem.	1763
53	Adm. Rev. P. BARNABAS ANTONIUS ARDITI a Buriasco, Lect. Iub., electus Praesid. Adm. R. P. ALOYSIO ab Emissalea, Prov. Mediok., Lect. Iub., Commiss. Visitat.	Carmaniolae	11 Augusti	1766
54	Adm. Rev. P. IRENAEUS MARIA BONARDELLI a Taurino, Lect. Iub., Paroeciae D. Thomae Curatus, electus	Vigoni	17 Augusti	1769

NOMEN, COGNOMEN, PATRIA, GRADUS		LOCUS	DIES MENSIS	ANNUS
		ELECTIONIS		
	Praesid. Adm. Rev. P. THOMA FRANCISCO a Vigueria, Prov. Mediol., Commiss. Visitat.			
55	Adm. Rev. P. COELESTINUS GIARDI a Iultiis, Conc. Gen., Lect. Iub., electus Praes. Adm. R. P. IOSEPHO MARIA SATTAMINO a Cairo, Conc. Gen., Lect. Iub., Prov. S. Didaci, et Commiss. Visitat.	Fossani	1 Septem.	1772
56	Adm. R. P. BERNARDINUS BLANCHI a Draconerio, Conc. Gen., Lect. Iub., electus Praesid. Adm. R. P. ANGELICO a Sexadio, Conc. Gen., Lect. Iub., Prov. S. Didaci, et Commiss. Visitat.	Taurini	12 Septem.	1775
57	Adm. R. P. THEODORUS VALPERGA a Malione, Theol. Lect., ex-Def., electus Praesid. Adm. Rev. P. PLACIDO a Montilio, Prov. S. Didaci, Conc. Gen., S. Theol. Lect., S. Officii Consul. et Commiss. Visitat.	Taurini	9 Septem.	1778
58	Adm. R. P. BALTHASSAR CHIARVA a Villanova Astarum, Lect. Iub., electus Praesid. Adm. R. P. HYACINTHO ANDREA a Serenio, Prov. Mediol., Lect. Iub. et Commiss. Visitat.	Taurini	25 Iunii	1781
59	Adm. R. P. IOSEPH NICOLAUS MERLO a Guarenis, Conc. Gen., S. Theol. Lector, in locum Ministri Prov. die 2. Iulii 1782 vita functi Vicarius Provincialis electus postmodum a R. P. PASCHALI a Varisio, Minis. Gen., Lect. Iub., et Minister Provincialis institutus die 2. Augusti eiusdem anni, ac Taurini promulgatus Praes. Rev. P. PETRO CRAVERI a Moretta, ablegato Apostolico in Oriente, inter ex-Commiss. a Pio VI cooptato, ac postea Episcopo Enensi, Sciensi, et Galtelynensi in Sardinia.	Taurini	4 Iulii 18 Septem.	1782 1782
60	Adm. R. P. PAULUS CRAVERI a Moretta, Lect. Iub., electus Praesid. Adm. R. P. IRENAEO MARIA BONARDELLI a Taurino, Lect. Iub., ex-Ministro, et Paroeciae Curato.	Taurini	25 Augusti	1784

	NOMEN, COGNOMEN, PATRIA, GRADUS	LOCUS	DIES MENSIS	ANNUS
		ELECTIONIS		
61	Adm. R. P. AMEDEUS BENISSONE a Taurino, Lect. Iub., electus Praesid. Adm. Rev. P. ANASTASIO FURNO a Costiliolis Astarum, Lect. Iub. et Ord. Script.	Taurini	30 Iulii	1787
62	Adm. R. P. IRENAEUS MARIA BONARDELLI a Taurino, qui supra, ob mortem praedeces- soris, ipso veluti digniori praesidente, electus Vicarius Provincialis	Taurini	20 Aprilis	1789
63	Adm. R. P. ANASTASIUS FURNO a Costiliolis Astarum, qui supra electus Praesid. Adm. R. P. PAULO CRAVERI a Mo- retta, ex-Ministro.	Taurini	21 Septem.	1789
64	Adm. R. P. CAROLUS BONAVENTURA PUGNETTI a Carmaniola, Lect. Iub. ob mortem prae- decessoris Vicarius Provincialis electus Praesid. tamquam digniori Adm. R. P. IRENAEO MARIA BONARDELLI, qui supra.	Taurini	27 Aprilis	1792
65	Adm. R. P. CAROLUS IOANNES VISMARA ab Arcoro, Conc. Gen. Lect. Theol., ex-Prov. Albaniae, electus Praesid. Adm. R. P. FULGENTIO MARIA RIC- CARDI a Taurino, Conc. Gen., Lect. Iub.	Taurini	9 Maii	1792
66	Adm. R. P. GRATIANUS BANCHIO a Moretta, Lect. Iub., electus Praesid. Adm. R. P. IRENAEO MARIA BONAR- DELLI, qui supra, Def. Gen.	Taurini	20 Aprilis	1795
67	Adm. R. P. FULGENTIUS MARIA RICCARDI a Taurino, Conc. Gen., Lect. Iub., Script. Or- dinis, electus Praes. Adm. R. P. DEMETRIO a Summaripa- Nemoris, Lect. Iub.	Taurini	25 Aprilis	1798
68	Adm. R. P. IRENAEUS MARIA BONARDELLI a Taurino, qui supra, Patre FULGENTIO sponte abdicante, Vicarius Provincialis, eodem veluti digniori praesid. electus	Taurini	19 Augusti	1799
69	Adm. R. P. ANGELUS MARIA OLIVERI a Cla- vasio, Lect. Theol. ob mortem Patris IRE- NAEI Vicarius Provincialis electus	Taurini	27 Ianuarii	1800

	NOMEN, COGNOMEN, PATRIA, GRADUS	LOCUS	DIES MENSIS	ANNUS
		ELECTIONIS		
	<p>Praesid. Adm. R. P. IOSEPH NICOLAUS MERLO a Guarenis, veluti digniori.</p> <p style="text-align: center;"><i>Explicit huiusce Provinciae Ministrorum series, qui ante generalem Omnium Ordinum suppressionem eam rexerunt; nunc ii ponuntur qui in eadem post restaurationem Ministeriatus officio functi sunt.</i></p>			
70	Adm. R. P. IOSEPHUS NICOLAUS MERLO a Guarenis, Lect. Iub., ex-Minister Prov., Commissarius Apostolicus, et Delegati Generalis titulo insignitus pro Conventibus in Pedemontana Ditione restaurandis			1815
71	Adm. R. P. MALACHIAS BUSSOLINI a S. Martino, Lector. Iub; a Rev. ^{mo} P. Gaudentio a Coriano pro-Ministro Gen., Minister Provincialis electus, lit. dat.	Romae	1 Septem.	1816
72	Adm. R. P. SEBASTIANUS MARIA MATHIS a Brayda, Lect. Sexenn. Paroeciae D. Thomae Apostoli Taurini Curatus ob mortem Adm. R. P. Malachiae supradicti Vicarius Prov. electus Dehinc titulo et praerogativa Ministri Prov. decoratus a Rev. ^{mo} P. GAUDENTIO a Coriano, qui supra. Praesid Adm. R. P. IOSEPHO NICOLAO MERLO, qui supra.	Taurini	5 Maii	1818
73	Adm R. P. SEVERINUS RIVA a Maliano, Lect. Theol., Terrae Sanctae Commiss. electus . Praesid. Adm. R. P. IOSEPHO NICOLAO MERLO, qui supra.	Taurini	12 Octobr.	1819
